

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des oeuvres poétiques de cet auteur publiée à Rostock, en 1579.

I

EPIGRAMMATUM NATHANIS CHYTRAEI, LIBER PRIMUS. (703 vers)

DE NOMINE FRIDERICI II. REGIS DANIAE, FELICISS. ET POTENTISS.

E1_1 v.1 Sunt tria, rex Friderice, tuum quae nobile nomen
 2 imperio spondet temporibusque tuis.
 3 Pax, honor, et pleno locuples opulentia cornu,
 4 est quibus in toto carius orbe nihil.
 5 Macte animo rex arctoi clarissime mundi,
 6 haec tria fac populis sint diuturna tuis.
 7 Aurea perpetuam praestet concordia pacem
 8 regno, animo, genti consiliisque tuis.
 9 Hinc virtutis honos, et honestas publica regnet,
 10 sit pudor, et probitas, sit pietatis amor.
 11 Quin tua cunctarum proventu divite rerum
 12 fiat et aeternis gens opulenta bonis.
 13 Sic vere optati de nominis omine, dives
 14 pacis, honoris, opum, rex Fridericus eris.

DE FRIDERICI II. REGIS ; ET SOPHIAE REGINAE DANIAE, SPLENDIDISS.
 IN MEGAPOLIN ADVENTU.

E1_2 v.1 Dum Varni Roseas cum conjuge navigat undas
 2 magnanimis major Rex Fridericus avis ;
 3 Varnus ovans, tanti dudum praesagus honoris,

4 corniger e fluvio conspiciendus, ait :
 5 "Quis novus atque adeo excellens me illuminat hospes ?
 6 Quaenam nympha meas aurea sulcat aquas ?
 7 Fallor an arctoi rex florentissimus orbis
 8 compare cum Sophia rex Fridericus adest !
 9 Rex Fridericus adest, Sophia comitante, nec umquam
 10 intravit nostras clarior hospes aquas.
 11 Non mihi jam Rhenus, plures licet alluat urbes,
 12 non mihi se turgens conferat Eridanus.
 13 Sed neque dum pompa tali mea flumina fulgent,
 14 mi jactes reges Tybri vel Arne tuos.
 15 Hic meus, est nostro regum rex optimus aevo,
 16 et vehitur nostris altera Pallas aquis."

IN HONORUM EORUMDEM.

E1_3 v.1 Vis ipsum spectare Jovem ? Vis nosse Minervam ?
 2 En tibi cum Sophia rex Fridericus adest.
 3 Rex aequans bonitate Jovem ; Regina Minervam
 4 fecundae exsuperans laude pudicitiae.
 5 Felices oculos ! Felix Megalepolis ! Una
 6 cui lux dat geminos posse videre Deos.

DE ULRICO DUCE MEGAPOLITANO
 IN HORTO PATAVINO HERBARUM INSPECTIONE SE OBLECTANTE.

E1_4 v.1 Euganeo nuper cum Dux Ulricus in horto
 2 plantarum inspiceret germina Phoebus ait :
 3 Cur tu quaeso sacris Princeps carissime Musis
 4 hac regione mihi conspiciendus ades ?
 5 Tunc ille Ulricus, proavis qui regibus ortus,
 6 Maenalia procul hinc me regione colis ?
 7 Dignaque doctiloquis largiris praemia Musis,
 8 et claris Musas qui coluere viris ?
 9 Salve gentis honos patriae, Dux inclite salve,
 10 tu quoque tu nostro munere clarus eris.
 11 Cumque adeo celebri plantas scruteris in horto,
 12 et placeant oculis munera nostra tuis :
 13 fallor an heroes heros imitatus avitos,
 14 hac quoque laude illis te cupis esse parem !
 15 Huic olim praestans animi invigilabat Achilles,
 16 deditus huic Hieron Lysimachusque fuit.
 17 Posteritas hinc grata illos post funera laudat,
 18 nomen et illorum germina certa ferunt.
 19 Fortunate heros, tu nunc eris alter ab illis,
 20 quos genere aequiparas, exsuperasque fide.
 21 Perge modo, doctasque libens defende sorores,
 22 Varnus ubi roseas en tibi fundit aquas.
 23 Nomine sic meritoque tuo sine fine manente,
 24 Floridius quovis germine germen eris.

Patavii VI. Kal. Aug. Anno 1566.

DE BUCEPHALO IN CLYPEO DOMUS MEGAPOLITANAE.

E1_5 v.1 Bucephali caput in clypeo cur inclite monstras ?

2 Cum bove praestanti quid bonitate duci ?
 3 Scilicet haec eadem Cimbrorum gloria Brennus
 4 regna per Italiae prospera signa tulit.
 5 Quin eadem Nestor periturae ad Pergama Trojae
 6 signa habuit praestans mente manuque senex.
 7 Horum utrique animis, et dulcis flumine linguae
 8 cum par sis, Herulis gloria prima tuis :
 9 cur eadem non signa tibi Dux optime dentur ?
 10 Quae patriae indicium nobilitatis habes.
 11 Macte animo princeps, fortem tua dextera Brennum,
 12 Nestoreos superet vivida vita dies.

UDALRICO DUCI MEGAP. LIBRUM HERBARIUM MITTIT PATAVIO.

E1_6 v.1 Quae decerpta tibi Patavino mittimus horto
 2 germina, dux facili fronte manuque cape.
 3 Plantarum hic poteris vivas cognoscere formas,
 4 hic poteris oculos pascere ut ante tuos.
 5 Illa quidem viguere prius, quando ipse videres
 6 omnia, nunc arent, tam vigor ille brevis.
 7 At tu si studia haec Musarum dona fovebis,
 8 ut facis, et nosti munus id esse tuum ;
 9 ambrosiae in morem felix sine fine vigebis,
 10 nec poterunt laudes tollere fata tuas.

AD PETRUM VICTORIUM DE CAPTA LUSCINIA.

E1_7 v.1 Lusciniam cepisse Lacon captamque necasse
 2 fertur, ut hac avidam pelleret ore famem,
 3 at postquam plumis exutam denuo vidit,
 4 "Vox tantum es, dixit, praetereaque nihil.
 5 Spartanos haec facta decent, at tu, optime Petre,
 6 ductor Athenaei Pieriique chori,
 7 cum Philomela tuam nuper penetrasset arachnen,
 8 qua tua Romanae proxima villa viae est :
 9 tu caput innocuae demulcens, libera dixti
 10 rursum esto, ob dulces quos canis una modos."
 11 Nec mora diductis manibus laeta evolat illa,
 12 patronique sui facta fidemque canit.
 13 Attendunt philomelae omnes, totumque per orbem
 14 dispersae laudes, Petre beate, tuas
 15 divulgant, quas nec memori quisquam eximet aevo,
 16 donec luscinae, carmina donec erunt.
 17 At tu quisquis avem tam blandam laedere tentas,
 18 bubonum in tenebris flebile carmen habe.

AD GALLUM EX AUSONIO.

E1_8 v.1 Dicebam tibi, Galle, senescimus, effugit aetas,
 2 utere flore tui, si sapis, ingenii.
 3 Sprevisisti : obrepsit non intellecta senectus,
 4 nec revocare potes qui periire dies.
 5 Nunc piget, et quereris, quod non aut ista voluntas
 6 tunc fuit ; aut non est nunc vigor ille tibi.

IN QUINTILIUM VARUM.

E1_9 v.1 Quintilium nostin Varum ? Quem maximus ille
 2 Arminius patriae vindex oppressit, an illum
 3 nosti, inquam, qualis fuerit ? Germania novit
 4 illa vetus, quae regnantem et nova jussa ferentem,
 5 et deglubentem indomito quaeque obvia fastu,
 6 spernentemque hostis tacitas sint pectore viros,
 7 non tulit, ut mollesque Syri, et Phoenicia pubes,
 8 imperiis assueti homines, ad jussa parati,
 9 imbellesque illum tulerant, ibi regna tenentem.
 10 Nam Syriam pauper locupletem ingressus, eandem
 11 expilando inopem, dives, nudamque reliquit.
 12 Non tulit hoc inquam Germani martius ardor,
 13 contemni impatiens, et vinci nescius olim.
 14 At dux si tanti fecisset providus hostem ;
 15 in Syria quanti congestum fecerat aurum ;
 16 non isti stragem tumuli loquerentur avitam :
 17 Luppia non clades veteres Amasisque referrent.

ARISTIDES.

E1_10 v.1 Pauper Aristides ad censum egressus agendum
 2 quam fuit egressus pauperior rediit.
 3 Cur igitur subito en factus de paupere dives
 4 est Varus Syrii praeses avarus agri ?
 5 Pauper Aristides patriae fuit utilis uni,
 6 at sibi, non aliis, utilis iste fuit.

IN HARPALUM.

E1_11 v.1 Qui deglubebat miseros, violabat inermes,
 2 quaestor erat miseris Harpalus agricolis,
 3 invisus pueris, senibus, simul atque puellis,
 4 namque operum exactor vix tolerandus erat.
 5 Subditus huic Damon, vicino saepe Menalcae,
 6 dicebat querulis talia verba modis,
 7 finiat o utinam nostros mors certa labores,
 8 unica nam nobis illa parata quies.
 9 Quin neque post mortis, respondit, fata, Menalcas,
 10 aeterni requies certa laboris erit :
 11 nam gravius Stygio crucietur ut Harpalus igni,
 12 ligna ferenda mihi, ligna ferenda tibi.

IN BASSARUM.

E1_12 v.1 Ut lapidem jactore canis sectatur omissio,
 2 ignibus ut ferulam dat puer innocuam :
 3 Bassarus immodico sic cum se proluit haustu,
 4 quae placuere prius frangere vitra solet.
 5 Vitra nihil meruere : tibi tu rectius ipsi
 6 frange manus, bibulam vel tibi frange gulam.

DOMUS AMPLA ET SPLENDIDA

E1_13 v.1 Magna domus, magnos sumptus, magnosque labores
 2 aedificanda simul, simul et reparanda requirit.
 3 Si pereat, damnum est majus ; si splendida duret,
 4 excitat invidiam stimulis, oculosque malignos
 5 urit, et exitium domino fert saepe potenti.
 6 Prae reliquis locuples mihi villa Aurelia testis,
 7 qui sapis ergo tibi, laudato ingentia tecta,
 8 exigua incolito : poteris sub limine parvo,
 9 et gaudens parvisque sodalibus, et lare certo,
 10 libertate frui, et regum praecurrere reges.

AD STERTINIUM OBAERATUM.

E1_14 v.1 Hic jaceo somni cupidus, pernicibus alis
 2 ast oculos refugit perfidus ille meos.
 3 Pulvinos mihi quaeso tuos, mihi stragula mitte,
 4 in medios stertis sub quibus ipse dies.
 5 Namque ubi tu tanti dormis bene debitor aeris,
 6 me dormire etiam non male posse puto.

IN VILLIUM.

E1_15 v.1 Villius it totiens curto quadrante lavatum,
 2 et jactat generis nobile stemma sui.
 3 Jactat et acceptam generoso a Caesare laurum,
 4 mirifigue sibi se celebrando placet.
 5 Interea famulusque cibis, eget aere crumena,
 6 non etiam murem quo bene pascat habet.
 7 Quid tibi nobilitas prodest jam stirpis avitae ?
 8 Hic honor est, aurum si tibi desit, onus.
 9 Nil mihi cum lauro fulvum si deficit aurum,
 10 nil mihi cum fama, si toleranda fames.

IN PSEUDOLUM.

E1_16 v.1 Te sapere, et cunctis morbis cum laude mederi
 2 posse putas, quin et Pseudole dicis idem.
 3 Credo equidem, resque ipsa docet, te pellere vitam,
 4 sic simul et morbus vitaeque pulsa fugit.
 5 Egregium vero medicum ! Tua pharmaca praestant
 6 mortuus ut nullis post egeat medicis.

IN MARGAM.

E1_17 v.1 Nutricem sese jactat templi atque Lycaeï,
 2 se celebrando sibi garrula Marga placet.
 3 Non equidem nego, nutricis nec nomina Margae
 4 detraho, sub certa condicione tamen.
 5 Namque etiam est nutrix quae mansum devorat ipsa,
 6 et pueri sputo labra tenella linit.

IN FILIUM VITI ET VITAE.

E1_18 v.1 Vita tibi mater, pater est tibi Vitus, id ipsum
 2 perpetuo jactas, perpetuo repetis.
 3 Vitalemque isto solum te nomine clamas,
 4 omina nominibus nam quis inesse neget ?
 5 Non nego. Sed vitulam potuit quoque Vita creare,
 6 et patre de Vito nasci etiam vitulus.

IN PSEUDOLUM.

E1_19 v.1 Sinceri candoris amans, et candidus ipse,
 2 ut bonus est, alios sic putat esse bonos.
 3 At niger, et tenebris plenus, fraudisque dolosae,
 4 ut malus est, omnes sic putat esse malos.
 5 Non tibi, non aliis igitur cum, Pseudole, credas,
 6 esse bonus quaeso qua ratione potes ?

IN PHILOSOPHOS.

E1_20 v.1 Transibat vicum vendentem tus et odores
 2 rusticus, hic subito concidit exanimis.
 3 Mirantur juvenes quibus urbis aromata curae,
 4 unguentisque viri pallida labra linunt.
 5 Nequidquam. Riget ille tamen : quem rusticus alter
 6 aspiciens, morbi gnarus et ingenii,
 7 succerdam arripuit vico quae forte jacebat,
 8 arreptamque ejus naribus applicuit.
 9 Hinc subito vires animi vitamque recepit,
 10 tantum apud impuros stercora foeda valent.
 11 Credis ab hoc juvenes multum differre virosque
 12 prae libris veterum quis nova quaeque placent ?

BONI COLENDI UT PROSINT, MALI NE NOCEANT.

E1_21 v.1 Qui quaecumque petens laqueata palatia scandit,
 2 cogitur ille bonis blandus et esse malis.
 3 His equidem, ne quid noceant, quia noxia turba est :
 4 illis ut solita pro bonitate juvent.
 5 Romula sic olim non tantum turba Salutem
 6 cum Scabie saevam sed coluere Febrim.

IN POLYPRATTUM.

E1_22 v.1 Cum te vel minimum nequeas audire monentem,
 2 proque aris in eas proelia proque focis,
 3 in dubium si forte aliquis non fictus amicus,
 4 a te facta, tuo motus honore, vocet ;
 5 cum non esse velis sed tantum sanctus haberi
 6 et satis esse loqui de pietate putes ;
 7 cum tantum tua cuncta probes, tuaque omnia laudes
 8 contemnasque alios, caecus amore tui ;
 9 propria cum plenis recites encomia buccis
 10 paedoremque tuum punica mala putes ;

11 cum faciles pandas assentatoribus aures
 12 et mala virtutum nomine facta tegas :
 13 qua quaeso ratione aliquis tua facta probarit ?
 14 Quomodo non mendax laudibus illa vehet ?
 15 Si Christo placet ille, sibi qui displicet ipsi,
 16 sique odit mitis corda superba Deus :
 17 qua ratione etiam Christo ventose placebis,
 18 usque adeo placeas cum Polypratte tibi ?

IN ENNIUM ET IPSIUS SIMIAM.

E1_23 v.1 Nil nisi virtutem patulo crepat Ennius ore,
 2 nil nisi virtutem simius iste crepat.
 3 Quin culices audit tussire, et crescere gramen,
 4 usque sagax adeo sensus inest animo.
 5 Interea invigilare mero, contemnere sacra,
 6 cumque Deo leges esse putare nihil,
 7 scortari, nugari, alios suspendere naso,
 8 et crepitus proprios esse putare rosas,
 9 haec sequitur virtus praecepta, haec gloria certa est,
 10 hinc adeo dociles aspice discipulos.
 11 Cum fatuo grege nil toto te vanius orbe est,
 12 dum facienda mones, et fugienda facis.

IN GALBAM.

E1_24 v.1 Movisti quoties turbas, hoc ebrius egi
 2 dicis, et ut veniam dem tibi Galba rogas.
 3 Nocte suburbanas adiisti, hoc ebrius egi
 4 dicis, et ut veniam dem tibi Galba rogas.
 5 Officium est quoties neglectum, hoc ebrius egi
 6 dicis, et excusas crimina criminibus.
 7 Quin pudeat dignum baculo caput, improbe Galba,
 8 criminibusne tegi crimina posse putas ?
 9 Ebrius es gemina dignus me iudice poena,
 10 sobrius hanc nullo te redimente lues.

IN BARRUM.

E1_25 v.1 In templo, mensa, et ludo, vis primus haberi,
 2 deque loco rixas saepe priore moves.
 3 Fallor an in caelo, quo vix perveneris umquam,
 4 Barre, voles ipso celsior esse Jove.

IN JUVENES MANICATOS.

E1_26 v.1 Cur bovis a cubitis juvenum palearia pendent ?
 2 Cur referunt manicae guttur Onocrotali ?
 3 Quisque sinu fatuum circumfert : optimus ille est
 4 qui ne promineat dissimulare potest.
 5 Hinc videas stolidam manicas extendere turbam,
 6 commodior fatuis ut locus esse queat.

IN GASTRICIUM.

E1_27 v.1 Illud "maeden agan", si quem bene nosse fatemur,
 2 hunc ego Gastricium protinus esse puto.
 3 Nam curtum curtis obolis mutare trientem,
 4 aedituo in templis circumeunte solet :
 5 ne nimio fortasse stipem gravet aere rogantes,
 6 en urbs munificum Gastriciana tuum.

DE TRAPULA SUSPENSO.

E1_28 v.1 Trapula qui totiens mendacia dixit, et ausus
 2 est totiens furtis contemerare manum,
 3 quid faciat quaeris ? Lavat illum Juppiter imbre,
 4 expositum radiis ungit Apollo suis.

IN FABIANUM.

E1_29 v.1 Stultorum dicis regem, Fabiane, ministrum
 2 esse tuum, quod sit tardior ingenio :
 3 o te infelicem, siquidem modo vera profaris !
 4 O iterum servi maxima regna tui !
 5 Stultorem rex, immenso dominatur in orbe,
 6 et metues famuli tu quoque sceptra tui.

DE PAETO.

E1_30 v.1 Paetus adulterii uxorem convincere certus,
 2 signa viri cultro sustulit ipse sibi,
 3 ut si iterum pareret, certo, sine iudice, scire
 4 posset, eam certi criminis esse ream.

DE PHRENETICO ET MEDICO.

E1_31 v.1 Aegroti capitis juveni clystera ferebat
 2 callidus herbarum cognitione senex.
 3 Aeger ad hunc, num stulte tuum delirat acumen,
 4 qui medicum minime convenienter agis ?
 5 Quando caput cerebrumque mihi curare volebas,
 6 cur parti adversae pharmaca quaeso paras ?
 7 Nec mora praeripiens medico clystera trementi,
 8 illinit hunc capiti temporibusque suis.
 9 Hic dolet, huic inquit parti medicina paranda est,
 10 quid mihi cum nugis, o medicelle, tuis.

IN MOSCUM PSEUDOCRISTIANUM.

E1_32 v.1 Assidue cur bella gerat, cur fulminet armis
 2 Moscus, et ulterius castra pedemque locet
 3 miramur causas ? Haec est : non incitat ullus
 4 relligionis eum, sed regionis amor.

IN CISTOPHORUM.

E1_33 v.1 Nomine Christophori gaudes, Christumque subinde
 2 ingeminas rebus spemque ducemque tuis.
 3 Sed tamen in oculis animus cistaque moratur,
 4 assidue hanc tecum sis ubicumque trahis.
 5 Sic ego cum Christum jactas, intelligo cistam,
 6 et modo Christophorus fit mihi Cistophorus.

IN LURCONEM SCABIOSUM.

E1_34 v.1 Cur totiens tumido tibi pustula putris in ore
 2 nascantur, mirans, scire subinde cupis.
 3 Vis dicam ? Ore voras nimium, nimiumque bibendo,
 4 exitium cerebro ventriculoque paras.
 5 Ergo nec immerito scabioso plecteris ore,
 6 membraque supplicium, quae meruere, ferunt.

IN LESBIAM ET CORDIAM.

E1_35 v.1 Cur adeo tua displiceat mihi Lesbia quaeris ?
 2 Plus placet illa sibi, non placet ergo mihi.
 3 Idem cur adeo placeat mihi Cordia quaeris ?
 4 Non placet illa sibi, plus placet ergo mihi.

IN LUCIFERUM.

E1_36 v.1 Lucifer egregie si se putat omnia scire,
 2 cur nescit fatuum se miser esse rudem ?
 3 Hoc unum ignorans, non se scire omnia dicat,
 4 ille sapit qui se scit bene scire nihil.

ANIMA FOETIDA.

E1_37 v.1 Ad cenam me saepe vocas, ad prandia saepe,
 2 et me saepe tuum limen adire jubes :
 3 non venio. Quae causa rogas ? Non prandia vito,
 4 non aedes, animae stercora vito tuae.

IN DOXOSOPHUM.

E1_38 v.1 Doxosophus nuper quidam me forte rogavit,
 2 barba priorne viro posteriorve foret ?
 3 Huic ego : barba viro prior exstitit horrida dixi,
 4 nam post barbigeras conditus ille capras.

VINUM. AQUA.

E1_39 v.1 Quid mihi vim vini quid Bacchi robora laudas,
 2 roboris et lymphas dicis habere nihil ?
 3 Circumagens celeresque rotas, lapidemque molarem,
 4 est equidem forti fortior unda mero.

IN LENTULUM.

E1_40 v.1 Lentule, te mecum jactas vixisse tot annos,
 2 intentum studiis, sed didicisse nihil.
 3 An fueris studiis intentus nescio : dicent
 4 hoc aliis mores ingeniumque tuum.
 5 Me vero immeritum posthac ut laedere cesses,
 6 hoc simile a nobis convenienter habe.
 7 Ut non omnis ager profert cum fenore fructum,
 8 hunc licet agricolae sedula dextra colat :
 9 haud secus ingenium fidi non omne magistri
 10 reddere frugiferum cura laborque potest.

IN EUCLIONEM MALEDICUM.

E1_41 v.1 Ut tibi sunt putridi scabra rubigine dentes,
 2 sic video dentes carminis esse tui.
 3 Ipse quidem mordere cupis, sed robora desunt,
 4 en faciunt dentes vulnera nulla tui.
 5 Ergo quid allatras alios ? Te mente caninae
 6 et rabie ostendas ut tamen esse canem.

DE TURTURE ET PASSERCULO.

E1_42 v.1 Turturis induerat plumas passerculus, hic se
 2 compare privatum turturibus queritur.
 3 Lugubresque sonos sterili decantat in ulmo,
 4 ut fore se viduum tempus in omne probet.
 5 Vix abiere dies aliquot, natura recurrit,
 6 lascivoque salax turtur amore calet.
 7 Mentitus turtur, plumis non corde pudicus,
 8 fabula turturibus passeribusque fuit.

IN POLYTROPUM.

E1_43 v.1 Silvestres asinos caelo ridente sereno
 2 tristari et questus edere rumor ait.
 3 Lascivire autem saltu, et gaudere vicissim,
 4 per nebulas pluviis si cadat imber aquis.
 5 Tu quoque laetitiam cum publica gaudia poscunt,
 6 tristis et in tetrica veste severus ades.
 7 Laetior es contra nitidaque in veste superbus,
 8 flebile cum cunctis tempus adesse vides.
 9 Si tibi cum stolido mens est communis onagro,
 10 quis nam silvestrem te neget esse asinum ?

IN RUBRIUM.

E1_44 v.1 Tu fidum esse negas Rubrium ; fidissimus ille
 2 sed tamen arbitrio creditur esse meo :
 3 nam barba rutilisque comis cavet ipse videnti,
 4 et sibi, ne pereas, derogat ipse fidem.

IN CHREMYLUM.

E1_45 v.1 Rugosam fastidit anum rugosior ipse
 2 Chremylus, et queritur fata sinistra tori.
 3 Virgineasque comas laudat, ridetque puellis,
 4 nescius opprobrio talibus esse senem.
 5 Chremyle, si sapis, o vetulam non sperne vietam,
 6 faex illi placeat, qui bona vina bibit.

PHAETHON.

E1_46 v.1 Hei quanto infelix Phaethon felicior essem,
 2 si non tacta mihi lora paterna forent.
 3 Qui petit alta cadit, propria tu in pelle quiesce,
 4 contentus modico qui tenet ima manet.

TURCA.

E1_47 v.1 Cottidie cur Turca Istri vicinior oris
 2 advolat ? Et nemo qui remoretur adest ?
 3 Pro patria patinas curat, pro limite limen,
 4 pro re communi quisque studet propriae.
 5 Sic sensim patriae et patinae, et cum limite limen,
 6 et cum privatis publica cuncta ruent.

DE TIRAQUELLO.

E1_48 v.1 Probra Tiraquello ingeminant, doctoque bonoque,
 2 namque quod omnigena cognitione fuit,
 3 spiritibus tribuunt divisque penatibus illud,
 4 quorum opera hunc usum subsidioque volunt.
 5 Ast aures praebere mihi si vera loquenti
 6 non grave sit, qui sint hi tibi dico lares.
 7 Sobrietas, labor assiduus, parcissima cura
 8 temporis, haec doctum numina trina creant.

BONUS LIBER.

E1_49 v.1 Ut brevis est melior sublimi gemma colosso,
 2 non gravitate quidem sed bonitate placens :
 3 egregios sic arte libros non mole probamus,
 4 et superat grandem saepe epigramma librum.

DE NOMINE MAXAEMILIANI II. IMP. AUGUSTII.

E1_50 v.1 Quis gentem Fabiam, Quintus quam Maximus ille
 2 cunctando fecit maximam ;
 3 quis gentem Aemiliam, Aemilii quis nomina Pauli
 4 nescit, viri integerrimi ?
 5 Scilicet Ausonias inter, dum Roma vigeret,
 6 locum hae tenere principem.

7 Quid divine tuo dicam de nomine Caesar ?
 8 Quod gentem utramque denotat :
 9 Maximus Aemilius Maxaemiliane vocaris,
 10 Fabium quod illum Maximum,
 11 et simul Aemilium virtute animoque fideque
 12 verisque vincas laudibus.
 13 Sis felix divine heros, regesque nepotes
 14 diu superstes aspice.
 15 Quodque facis, cumula meritis ingentibus orbem,
 16 ter optimus, ter maximus.

EX GRAECO SIMONIDIS EPITAPHIUM ARCHEDICES.

E1_51 v.1 Hippias illa, suo, Graecorum principis, aevo
 2 Archedice his tegitur, filia, pulveribus.
 3 Quae soror, et mater, conjunx et filia regum,
 4 non tamen elata mente proterva fuit.

IN EOS QUI COEMETERIA A PORCIS VASTARI PATIUNTUR.

E1_52 v.1 Cur sacra defunctis foedos haec area porcos
 2 pascit, et hoc animo cur patiente ferum ?
 3 Credo equidem sine fine avidas gens rustica porcas
 4 cum voret, illarum porcus hic ultor adest.
 5 Porcus edax, qui tot botulos, farcimina, pernas
 6 vindicat, ut poenam mortua membra luant.
 7 Si sapis abstineas petasone et carne suilla,
 8 ne rostro hic moriens effodiare suis.

HERMANNO VICCIO.

E1_53 v.1 Viccius Aonidum cultor, Phoebique satelles,
 2 et Musis fuerat Phoebo et carissimus ipsi.
 3 Invidet hunc illi Venus, et compellat amorem :
 4 i puer, hunc juvenem tacitis mihi fige sagittis,
 5 ut Phoebi oblitus posthac mea jussa sequatur.
 6 It, redit, et fixum narrat. Venus aurea ridet,
 7 defecisse putans juvenem : sed tu acriter insta,
 8 et Musas conjunge novo studiosus amori,
 9 victricem ut vincas Venerem, ulciscaris Amores,
 10 et tua vel sero numquam laus concidat aevo.

IN REDITUM H. BRUCAEI.

E1_54 v.1 Gaudete o Veneres, nudi gaudete Lepores,
 2 gaudete o Roseae pulpita docta scholae.
 3 En iterum Brucaeus adest, quem Belgia tellus
 4 hactenus et longae detinere morae.
 5 Hei nimium longae ! interea Musaeque canorae,
 6 et ludi, et suaves conticuere joci.
 7 Interea Herodotus, Xenophon apis Attica, cessat,
 8 Flaccus, Thucydides, Hippocratesque silent.
 9 Nunc illis sua vita redit, pulsisque tenebris
 10 splendidius soles te redeunte nitent.

11 Salve care meis imo carissime Muis,
 12 Brucae Aonii gloria magna chori.
 13 Te salvo mihi cara salus : longo ergo superstes
 14 tempore, Chironis saecula vince senis.
 15 Neve iterum Flandros olim Batavosque revisas,
 16 nectat amor collo vincula grata tuo.

IN IMAGINEM JO. ENGELSTEDII.

E1_55 v.1 Impleram decimum quater Engelstedius annum,
 2 corpore cum tali conspiciendus eram.
 3 Patria quando meae secreta negotia curae
 4 crederet, arctoeae prima corona plagae.
 5 Christe, meos quidquid posthac accedet ad annos,
 6 fac patriae et laudi serviat omne tuae.

IN HISTORIAM I. SLEIDANI.

E1_56 v.1 Non paucis, Sleidane, libris dum proelia regum
 2 gestaque pro vera relligione doces :
 3 nobile nomen habet virtus pietatis alumna,
 4 atque hanc ex animo qui coluere duces.
 5 Uritur impietas, vultum suffusa rubore,
 6 tot cupiens fraudes tot latuisse dolos.
 7 Nequidquam. Neque enim rerum pulcherrima virtus,
 8 nec scelera aeternum tecta latere queunt :
 9 Fama volat, totumque implet clamoribus orbem,
 10 durat et in seros viva recensque dies.
 11 Cui vitam ut tribuis ; vitam sic nactus ab illa,
 12 hoc opere aeternum tu quoque nomen habes.

DE HIERONYMA COLUMNIA FEMINA LECTISSIMA.

E1_57 v.1 Unica mens aliis et vates contigit unus,
 2 vix potuit vates unus habere duos.
 3 At tibi diversae cum dia Columnia mentes,
 4 contigeritque ori vox variata tuo :
 5 quid mirum est uni totidem contingere vates ?
 6 Ipsa etiam celebres quos celebrata facis ?

DE EADEM.

E1_58 v.1 Oris honore Venus, thalamis et stemmate Juno,
 2 arte praeit reliquas casta Minerva Deas.
 3 Sed tu fatidicis sacrata Columnia Muis,
 4 singula sint illis cum data, cuncta tibi :
 5 cur non una trium titulo sis clara Dearum ?
 6 Stirpe, animo, facie : Juno, Minerva Venus.

IN BARBATULUM.

E1_59 v.1 Magna petis, caeloque tuus se spiritus aequat,
 2 ut capiat fastus vix schola tota tuos.

3 Magna etiam loqueris, magnos tibi sumis honores,
 4 quos tibi non homines nec Deus ipse dedit :
 5 quem Deus extollit, bene tollitur ; at simul ipsum
 6 te tolles, manibus stulte premere Dei.

DE POEMATIS HENRICI HUSANI. I.C.

E1_60 v.1 Viderat Husani nuper cum carmina Clio,
 2 aemula carminibus Vida diserte tuis :
 3 mirata ingenium, fecundae et flumina venae
 4 conticuit primum, mox stupefacta refert.
 5 Usque adeo hic callens Romani aenigmata juris,
 6 qui potuit sacris invigilare libris ?
 7 Aut cui Teutonicae tanta est facundia linguae,
 8 excoluit Latias quomodo quaeso Deas ?
 9 Huic Phoebus : mirari equidem jam desine Clio,
 10 vix alia fieri quod ratione potest.
 11 Nam cujus voluit fidei committere princeps
 12 Heruleus sceptri jura decusque sui :
 13 non modo consilio, verum et pietate decebat
 14 ingenique alios vincere flore sui.

IN ALEXANDRUM MAGNUM.

E1_61 v.1 Magnus Alexander parvum si credidit orbem,
 2 quem sibi pugnacis subdidit ense manus :
 3 an non pro magno minimum se jure vocasset ?
 4 Orbe etenim parvo quomodo magnus erat ?

IN LABRONEM.

E1_62 v.1 Ne minus aut nimium te laudem, Labro, rogasti,
 2 laudari nimium quod grave, turpe minus.
 3 Hoc ego sed medium cum me vix posse putarem
 4 tangere, nec laudo te, neque culpo. Vale.

STELLA AUREA.

E1_63 v.1 Quamprimum emicuit roseo stella aurea Varno
 2 orta procul Gothicis aurea stella jugis :
 3 ex templo insolita micuit Venus aurea luce,
 4 ceteraque insolitum signa dedere jubar.
 5 Scilicet hac stella caeli quoque sidera gaudent,
 6 ridet ab aetherio Juppiter ipse polo.
 7 Aera nam veluti rutilante hic lumine complet ;
 8 sic eadem meritis regna propinqua suis.

JOANNI CRATONI CONSILIARIO ET ARCHIATRO CAESAREO.

E1_64 v.1 Cum sacer Augustus Romani sceptrum teneret
 2 imperii, medica maximus arte fuit
 3 illustris Craterus : nunc maximus Aemilianus
 4 sceptrum eadem simili dum bonitate gerit,

5 est Crato, consiliis magnam qui Caesaris aulam
6 adjuvat, et morbos eminus esse jubet.
7 Sis felix, Crato, quin Cratero felicior ipso,
8 et multum Augusto temporis adde tuo.
9 Vivat ut incolumis, serosque in regna nepotes
10 collocet, et Turcae sceptrum subacta premat.
11 Si pulchrum est, tot regna uni se credere regi,
12 cui regis vita est credita, quantus erit ?

IN LUNAS JACOBI MONAVII.

E1_65 v.1 Omnia dum tenebras dum noctem cuncta minantur,
2 Barbariesque novis viribus aucta redit,
3 tu mihi praecipuos inter, memorande Monavi,
4 sedulus hanc contra fortia bella moves.
5 Et Sophiam sanctamque Themis defendis et ornas,
6 depromens doctos qui latuere libros.
7 Ergo e nocturnis argentea Luna tenebris
8 ut paene obscurans astra minora nitet,
9 sic virtus nomenque tuum quandoque nitebunt,
10 denotat id clypei candida luna tui.

IN NACAM.

E1_66 v.1 Cur totiens jam scripta iterat, chartamque nitentem
2 inquinat, usque adeo cur sibi Naca placet ?
3 Scribendi cacoethes habet, quare undique plures
4 stultitiae testes expetit esse suae.

IN EUMDEM.

E1_67 v.1 Sordet Aristoteles, sordet tibi magnus Homerus,
2 sordet item magno cum Cicerone Maro.
3 At sapiunt mireque probas quos tempore nostro
4 evomit insulsos gens asinina libros.
5 Non mirum est : homini rosa quod pulcherrima praestat,
6 praestat idem cenum spurcitiesque sui.

AD BARTHOLOMAEUM CLINGIUM ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS TUM RECTOREM.

E1_68 v.1 Acciperet quando sceptrum regale Darius,
2 indicio ante alios mane frementis equi :
3 mox fragor et tonitru caelo sine nube sereno
4 inclita laetitiae signa dedere suae.
5 Nunc quoque sceptrum Scholae tibi, laudatissime Clingi,
6 cum daret unita Musicus ordo manu,
7 infremuit sudum tonitruque et fulgure caelum,
8 unde tibi recte tradita sceptrum patet.
9 O dilecte Deo, cujus favet aether honori !
10 O mihi sinceri fratris amande loco.
11 Sis felix, et vive diu, rectoris Olympi
12 munere, clementi qui tua sceptrum manu
13 dirigat, ut Varni Schola te rectore juventae
14 floreat, et faustos sentiat ire dies.

15 Te rectore malos ut debita poena sequatur,
16 te rectore boni praemia certa ferant.

DE LAUREA ET NOBILITATE GEORGII FABRICII.

E1_69 v.1 Fabricio lauri meritissima germina Caesar
2 cum generis dederat nobilitate sui,
3 hoc Deus ut vidit, "Majori hic dignus honore est,
4 quam quibus in mundo condecorantur", ait.
5 Nec mora : caelestes illum conscendere sedes
6 jussit, et angelicis plectra ciere modis.
7 Conspicuaque inter vates gestare coronam,
8 et vera aeternum nobilitate frui.

IN FURIUM.

E1_70 v.1 Dic mihi cur plenis totiens convicia buccis
2 evomit, et totis cur maledicta libris
3 ingeminat Furius ? Cur multi imitantur eundem,
4 quis nisi rixosum nil placuisse potest ?
5 Nil Furio est, male ni scribat, quod scribere possit,
6 nec tibi quod dicat, ni maledicat, habet.

IN FANNIUM BIBULUM.

E1_71 v.1 Dum vitam incolumem potando precatur amicis,
2 dum patris et sponsae nomina saepe bibit ;
3 Fannius insano similis, pallensque tremensque
4 concidit, ut vitae spes quoque nulla foret.
5 Ridiculus ! Qui multa bibens nec profuit illis,
6 et sibi paene fuit causa pudenda necis.

IN NOMENCLATOREM HADRIANI JUNII AD GEORGIUM HANIUM.

E1_72 v.1 Parvulus hic liber est chartae, si pondera spectes.
2 Si res : immenso majus in orbe nihil.
3 Vix etenim quidquam formosi machina mundi
4 continet amplexu vasta patensque suo.
5 Quod non legitime quaerentibus indicet ille,
6 hunc tibi do studii motus amore tui.
7 Quid mihi reddendum quaeris ? Disce ista libenter,
8 hoc ego vel summi muneris instar amo.

IN AVAROS.

E1_73 v.1 Semper eget locuples congesto pauper in auro,
2 utilis et nulli ni moriatur erit.
3 Hinc tenuis tenuem pascit : qui dives egenum
4 sublevet, hoc duro tempore nemo fere est.
5 Recte igitur dictum : quando mendicus egeno
6 munera dat, caeli ridet in arce Deus.

IN HANNAM MOROSOPHAM.

E1_74 v.1 Hanna sapis nimium, nimium sapis Hanna, mariti
2 est sapere, huic mulier discat habere fidem.

TITYRUS.

E1_75 v.1 Tityrus exhaustum tum demum claudit ovile,
2 cum lupus amissas dilaniavit oves.
3 Infelix ovium custos ! Meliusne fuisset
4 principio incolumi claudere septa grege ?

IN GRAMMATELLUM.

E1_76 v.1 Grammaticus vis esse bonus, vis esse disertus,
2 dictaque mordaci dente soloeca notas.
3 Dente notas alios, ipsum te negligis, urbem
4 pro muris cinctam muribus esse canens.
5 Infortunatam quam tu muniveris urbem !
6 Mures si muris aequiparare voles.

LAGENAE SUBMERSAE.

E1_77 v.1 Saepe mero turgens, spumanti et plena Falerno
2 hic in Cocretico fonte lagena cubo,
3 quaeque ministra prius Cereris Bacchique vocabar,
4 nympharum madida nunc gemo tunsam manu :
5 scilicet ut quo me totiens sum passa repleri
6 sobria nunc demum temperet unda merum.
7 At tibi si quae cura mei, miserere jacentis,
8 quae tibi plena mero non odiosa fui.
9 Sed nil praeteritos curas ingratis labores,
10 deserta in gelidis ergo necabor aquis.

AVICULAE BLANDISSIMAE.

E1_78 v.1 Hic tibi pro cavea tumulus mea surgit acanthis,
2 parva, sed argutos fingere docta sonos.
3 Tu mihi cara quidem volucris, tu blanda fuisti,
4 gutture processit nil nisi dulce tuo.
5 Sed tamen asperius si te quis forte teneret,
6 hunc iterum rostro pungere cura fuit.
7 Sic minimo sua bilis inest, sic spicula melli,
8 floribus et morsum sedula miscet apis.
9 Parva quiesce tamen, mea parva quiesce volucris,
10 certatim volucres ad tua busta volent.
11 Exsequiasque canant : violae nascantur ibidem,
12 et rosa te foliis contegat orta suis.
13 Est eadem natura rosae, blandissima visu
14 floret, et ambrosio replet odore locum.
15 Sed tamen et spinis carpentem pungit acutis,
16 ut subito laesas retrahat ille manus.
17 Sic mala juncta bonis. Blandae tibi gratia vocis,
18 spicula sed rostri dura fuere tui.

19 Non ita dura tamen, quin vox tua dulcior esset.
20 Ergo mihi multum saepe gemenda, vale.

CHRISTOPH. PHILIPPO ZOTO.

E1_79 v.1 Complures oculos Xenophon apis attica Cyro
2 dixit, et innumeras regibus esse manus.
3 Sic procul Arctoum dum, Zote, moraris ad axem,
4 Caesaris et curas regia jussa tui :
5 cur oculum dextramque negem te Caesaris esse ?
6 Cur non perpetua te pietate colam ?
7 Quod facio, faciamque adeo dum vita manebit,
8 testis erit studii missa pagella mei.
9 Haec tibi serpentes vero pro numine cultos,
10 et referet caeso sacra peracta capro.
11 Quae quia credibile est multis ignota tuorum,
12 En tibi sunt lectis hic renovata typis.
13 Parva equidem fateor : sed tanti haec parva patroni
14 nomine non dubitem magna futura, vale.

EPITAPHIUM NOCTUAE.

E1_80 v.1 Illa ego noctis avis credentes docta volucres
2 fallere, sub viridi caespite tecta cubo :
3 aspectu monstrosa quidem, sed callida fraude,
4 et domino variis utilis esse dolis.
5 Scilicet agrestes animos, educta benigne,
6 exueram, illius pasta subinde manu.
7 Ergo amitis nunc summa peto, nunc mobilis inde
8 desilio, variis insidiorque modis.
9 Dum magnum nunc tollo caput, nunc corpore toto
10 contrahor, atque oculos torqueo terribiles.
11 Interea volucres omni me ex parte salutant,
12 miratae tenebras linquere noctis avem.
13 Quas simul occulto paulatim haerescere visco
14 aspiceres, captas et sua fata queri.
15 Nunc eadem me fata premunt : quid profuit olim
16 alitibus variis damna creasse dolis ?
17 Cui sacra sum Pallas miserae quid profuit ? Ipsa
18 cum nequeat saevas Parcae inhibere manus.
19 Quid tenebris et nocte tegi mihi profuit atra ?
20 Quando vel in tenebris mors obeunda fuit.
21 Disce meo exemplo, dominos vitare dolosos,
22 et numquam innocuis fraude nocere. Vale.

IN IBERUM.

E1_81 v.1 Belgarum in cenis admirabatur Iberus
2 delicias, artem, pocula, vitra, merum.
3 Ergo unde ingenia atque artes regionibus istis
4 sint, ubi mos vinis invigilare, rogat.
5 Huic Belga : "Ingenium exacuens et nobile vinum
6 nos bibimus ; fatuae potor Iberus aquae est.
7 Non artes mirare igitur, non mentis acumen,
8 sunt ubi caelifluo pocula plena mero.

9 Non mirare tuam stupido cum pectore mentem,
10 quod bibis, id tecum bos asinusque bibunt."

IN POLYPHEMUM.

E1_82 v.1 Potor aquae es, panemque domi parcissimus atrum,
2 ex jure hesterno, trux Polypheme, voras.
3 At si quando sedes aliena ad prandia fucus,
4 largus es, et lauto praebibis ore merum.
5 Importune alios etiam clamoribus urges,
6 utque bibant fastu, voce, minisque jubes.
7 De proprio largire mero, Polypheme, domique
8 prandens vel ventrem rumpe bibendo tuum.

DOCTOR : AUDITOR.

E1_83 v.1 Nemo docere potest, nisi sit qui praebat aures,
2 et nisi quis doceat ; discere nemo potest.
3 Excitat auditor studium, doctorque fidelis,
4 frigente alterius friget uterque fide.

LECTORI.

E1_84 v.1 Si quis forte putet nostro se carmine pungi,
2 agnoscens maculas conscius ipse suas :
3 det veniam melior : licuit semperque licebit
4 parcere personis dicere de vitiis.

II

EPIGRAMMATUM NATHANIS CHYTRAEI, LIBER SECUNDUS. (1217 vers)

VOTUM GENETHLIACUM

PRO ILL. CHRISTIANO FILIO PRIMO POTENTISS. REGIS DANORUM FRIDERICI II.

E2_1 v.1 Prodiit in Danaum nuper stirps mascula regno,
2 Marte sata, et casto plantata in Palladis arvo :
3 stirps Marti dilecta patri, matrique Minervae,
4 stirps Danaum spes et columen, quam fertilis aether
5 imbribus et largis et vivi fonte calor
6 sic vegetam faciat, foliorumque ornet honore,
7 ut patulis diffusa olim pulcherrima ramis,

8 et caput auricomum extollens, et brachia pandens,
 9 optati foveat populos sub tegminis umbra,
 10 audiat et dulces philomelae in vertice cantus,
 11 confugiumque avibus cunctisque animalibus astet,
 12 sic impacta solo, sic omni uredine major,
 13 sic tunica, durae sic corticis obsita crustis,
 14 sic celsis erecta comis, ut laedere nemo
 15 vel velit, aut possit tam pulchram evellere plantam.

DE UDALRICO EJUSDEM SERENISS. REGIS FRIDERICI II. FILIO ALTERO.

E2_2 v.1 Nomen avi patrii ductum de nomine Christi
 2 primus habet, tanto dignus honore nepos.
 3 Materni jam nomen avi datur Udalrici,
 4 inclite filiolo rex Friderice tuo.
 5 Fallor an ? Ille prior mores quoque reddet avitos,
 6 Ut cumulet meritis regna paterna suis.
 7 Fallor an ? Et quondam junget se tertius illis,
 8 qui referat genium, rex Friderice, tuum.
 9 Felices Danaos, veterum quando ora parentum
 10 in tribus his cernent esse renata sibi !

OMEN EX ILL. PRINCIP. MEGAP. SPLENDIDISS.
 IN URBEM SUAM ROSTOCHIUM INGRESSU.

E2_3 v.1 Tristis erat caeli facies ventique nivales
 2 omnia turbabant obvia, frigus erat.
 3 Sub tamen adventum vestrum sine nube serenus
 4 sol micuit, gelidae nec cecidere nives.
 5 O salvete, duces, quorum sol gaudet honore,
 6 en vestro insolitum lumine lumen habens.
 7 O cari superis, quibus adventantibus, urbi
 8 lux redit, et Boreae murmura pulsa cadunt.
 9 O faustum, nullumque diu felicius omen,
 10 ipse ratum e caelo quod Deus esse probat.

AD ILL. CHRISTOPHORUM SEMPTENVIRI PALATINI. F. RECTOREM ACAD.
 HEIDELBERGENSIS

E2_4 v.1 Pingitur egregia facie formosus Apollo ;
 2 dux quoque Christophorus frontis honore micat.
 3 Dulce canit, citharamque manu bene pulsat Apollo ;
 4 et bene Christophorus voce lyraque canit.
 5 Spicula saepe manu gladios, et vibrat Apollo ;
 6 Christophorus telis, dux, gladiisque valet.
 7 Aonidas rector defendit Apollo sorores ;
 8 haec quoque Christophori maxima cura ducis.
 9 Neccarides Musae tali gaudete patrono,
 10 Nonne praeest vestris alter Apollo jugis ?

IN SCIOLUM.

E2_5 v.1 Quodcumque argutum doctis lepidumque putatur,
 2 id fatuum sciolus frigidulumque vocat.

3 Quod vero insulsum doctis fastidia movit,
 4 id sciolus laudat mirificeque probat.
 5 Quae sit causa rogas ? Non omnibus omnia rident.
 6 Ulcus amant muscae, germina floris apes.

IN VIOLETTAM.

E2_6 v.1 Nobile de violis te nomen habere putabam,
 2 cognita quando oculis es Violetta meis.
 3 Sed postquam ingenium sensi fandique leporem,
 4 ardentisque oculos, cyprigenasque manus.
 5 Cedite jam violae dixi, violentius uror,
 6 quam violae aut florum germina ferre queant.
 7 Vis tibi majot inest, et nostris viribus impar,
 8 sic Violenta mihi, non Violetta, vale.

IN GRYLLUM IGNAVUM ET SCABIOSUM.

E2_7 v.1 Segnis erat Gryllus, saxique immobilis instar,
 2 mandibula excepta denique totus iners.
 3 Viderat hoc Scabies ; Gryllumque ut redderet acrem,
 4 pruritu huic vexat membra manusque suo.
 5 Mox ille evigilans ungues in vulnera stringit,
 6 et quod agat semper nunc scabiosus habet.

IN BATRACHUM.

E2_8 v.1 Conspexisse asinum Batrachus se pernegat ullum,
 2 non asinos patriae dicit inesse suae.
 3 Vix equidem credo, quin cum se viderit ipsum
 4 in speculo totiens, dicere vera nego.

DE I. CAES. SCALIGERO VIRO INCOMPARABILI.

E2_9 v.1 Romani caput eloquii si Tullius olim
 2 miratus est, quod Roscio
 3 spectante auderet quisquam histrio membra movere,
 4 scaenam impudens aut ingredi :
 5 quis non Scaligero miretur Caesare vivo
 6 quemquam edidisse quidpiam ?
 7 Cum nil prodierit, cujus non ilico mente
 8 naevos acuta viderit,
 9 hic genus humanum ingenio superaverat unus,
 10 ut sol minora sidera.
 11 Scribite jam indocti doctique poemata ; censor
 12 par Caesari non corriget.

IN TRES PETROS NOBILISS. ITALIAE, GALLIAE, ET GERMANIAE POETAS.

E2_10 v.1 Carmine quid possint Itali, et cum Teutone Galli,
 2 scire cupis ; ternos aspice quaeso Petros.
 3 Italia Angelium, Ronsardum Gallia, suave
 4 Lotichii ingenium Teutonum ora tulit.

CAROLO UTHENHOVIO, C.F.

E2_11 v.1 Te mortalem equidem clari genuere parentes,
 2 o decus et Scaldis, Carole, fama tui
 3 ast ego pro leto vitae immortalis honores
 4 promitti statuo culte poeta tibi.
 5 Nam si vita tibi nihil est, quod nomine pandis,
 6 non video possis qua ratione mori.

IN LILIA P.MELISSI SCHEDII, FRANCI.

E2_12 v.1 Cur dederit Caesar tibi lilia cana , Melisse,
 2 quae ferres clipeo conspicienda, rogas ?
 3 Pabula sunt flores apibus, sunt gloria florum
 4 lilia, sunt culti lilia sidus agri.
 5 Florilegas ergo inter apes cum prima voceris,
 6 gutture de cujus mellea nata mele ;
 7 quid mage conveniens isto tibi flore dedisset ?
 8 O magnum arguti Caesaris ingenium !

IN MELISSUM CAELIBEM.

E2_13 v.1 Spirantem Charites, fundentem mella Melissum,
 2 quid mirum viduo posse cubare toro ?
 3 Nam Veneres qui corde fovet, fontesque leporum,
 4 Sophrosynenque sacra sobrietate colit ;
 5 cur ille alterius Veneris succumbere flammis,
 6 cur vellet Cyprio subdere colla jugo ?

MELISSO PROCO.

E2_14 v.1 Floribus e cunctis laudabas sola, Melisse,
 2 lilia, dum viduo vivere dulce fuit.
 3 Lilia carpebas solummodo, dulcia fingens
 4 carmina, et ambrosio melle venusta mele :
 5 et tamen usque adeo lepidis schediasmata Musis,
 6 et Phoebo et doctis complacere viris ;
 7 nil ut amabilius, nil doctius esse putarent,
 8 mirantes gentum, clare Melisse, tuum.
 9 Quid fiet, cum jam sponsus conjuxque Rosinae
 10 puniceis carpes lilia mixta rosis ?

UTRIQUE

E2_15 v.1 Sola Rosina rosas, plantabat sola Melissus
 2 lilia, flore sui dives uterque soli.
 3 Sed jam liligero conjuncta Rosina Melisso,
 4 mellifluis pariet lilia compta rosis.

JOANNI ALBERTO PRINCIPI MEGAP. ILLUSTRIS.

E2_16 v.1 Joannes Alberte, ducum dux optime, librum
 2 quem damus augusta suscipe quaeso manu.

3 Non infecta quidem canimus, nec dissona vero,
 4 sed tamen arbitrio subjicienda tuo.
 5 Si tibi displiceant, nec nobis illa placebunt,
 6 sin placeant, aliis non placitura, placent.

BARTHOLOMAEO CLINGIO.

E2_17 v.1 Quaesitus totiens cum non videare, tibi que
 2 jam sacra sit praesto, Bartholomaeae, dies.
 3 En haec vincla tibi communi nomine mitto,
 4 ut nobis hodie sis maneatque domi
 5 Nam tecum cenare libet, missamque catenam
 6 suaviter affuso dissoluisse mero.

IN GARRULUM.

E2_18 v.1 Garrule, quid blateras ? Quid magni oracula Tulli
 2 conspui, aut summum carpis Aristotelem ?
 3 Qui nec habes quae scripserunt duo lumina mundi,
 4 neutrius aut linguam barbarus ipse tenes.
 5 Quin tua lingua levis non digna est lambere merdas,
 6 tantorum aut etiam lingere sputa virum.

IN EUMDEM.

E2_19 v.1 Qui Lalagus male sane aliis paulo ante fuisti,
 2 tam subito es nobis quomodo Longolius ?
 3 Noctua tam subito facta est num forsitan acanthis ?
 4 Auritusve asinus tam cito factus equus ?

FRIDERICO STIPITIO.

E2_20 v.1 Cur truncum Friderice vocas te candidus ipsum ?
 2 Cum tibi det tales blanda Thalia modos.
 3 Crede mihi fundunt si talia carmina trunci ;
 4 vix nemora et volucres quo celebrentur habent.

DE JUDAEO BAPTISATO.

E2_21 v.1 Venerat Ausonias quondam Judaeus ad arces,
 2 baptisini cupidus Christicolaeque gregis.
 3 Hic mores Sodomae inveniens, vitamque Gomorrae,
 4 "Certum, ait, est, verum gens colit ista Deum :
 5 gens verum colit ista Deum ; miseratio cujus
 6 et bonitas vatam tot celebrata libris.
 7 Nullus enim posset reliquorum credo Deorum
 8 cernere tam placidis fanda nefanda oculis."

STOMACHUS

E2_22 v.1 Si doctrina nocet, doctisque incommodat ipsis ;
 2 praemia doctorum, quod fit, si intercipit amens

3 fastus, et infami tincta ignorantia fuco ;
 4 certe equidem Musis tantum tribuisse pudendum est,
 5 est pudor ingenium tanto excoluisse labore.

IN LOLLIUM.

E2_23 v.1 Cum caput usque adeo grave sit tibi, rustice Lolli,
 2 ut laevae accersat fulcra pudenda manus ;
 3 sunt tibi qui nimia doctrinae mole gravari
 4 affirmant cerebrum, daedaleumque caput :
 5 sunt quoque stultitiae qui id credant pondere pressum,
 6 nutare et fulcri quaerere jugis opem.
 7 Utri ego subscribam quaeris ? Petit ardua virtus,
 8 ignea vis animo multa tenentis inest.
 9 It pessum et prono cadit ignorantia vultu,
 10 hinc utrum sapiens sis fatuusve vides.

IN VEREDUM JO. POSTHII POETAE CL.

E2_24 v.1 Quid sibi vult cornu ? Quid eques ? Properante veredo
 2 quid scriptum in clipei margine, tolle moras.
 3 Fallor an ingenuum designant ista poetam,
 4 qui cupiat Musas labe carere suas.
 5 Nescit adulari vates bonus ; acer id ipsum,
 6 vel regem excutiens tergore, nescit equus.
 7 Cornicen in latebris caelari nescit opacis ;
 8 nescit idem vatis non tumulanda chelys.
 9 Urget opus sonipes, coeptisque laboribus instat ;
 10 pergit et ad metam sedula Musa suam.
 11 Scilicet ista tuos, Posthi, clarissime mores,
 12 ingenique notant vimque decusque tui.
 13 Sis felix, nostrique novum cape pignus amoris,
 14 jure etiam patrium propter amande solum.
 15 Nam me vitiferos spectans Mencingia colles,
 16 te Germershemium non procul inde tulit.
 17 Sis felix, nec te quatiat, nec sternat euntem,
 18 sed tuus optato tramite currat equus.

IN BATRACHUM

E2_25 v.1 Batrachus assidue faciles in carmine Musas
 2 jactat, ab his, quidquid jam meditetur habet.
 3 Sed tu cum jactat Musas intellige muscas,
 4 carmen cum jactat ; crimen id esse puta.
 5 Ejus enim in cerebro magno circum agmine musca
 6 nidificant, foedum pectora crimen olent.

GERMANIA DEGENERANS.

E2_26 v.1 Quid sibi vult quam cernis anus macilenta tremensque,
 2 caeca oculos, vultum pallida, cana comas,
 3 ferali ingluvie ptisanam quae sorbet, ut aegrum,
 4 quod Libitina vocat postuma, corpus alat.
 5 Haec illa est veteri amisso Germania flore,

6 elumbis macie, turpis, inermis, iners.
 7 Nulla pericla videns, quamvis sint proxima, quamvis
 8 omnia perniciem mox ruitura trahant.
 9 Luxuriae interea indulget Bacchoque gulaeque,
 10 fortiter ut reliquae dilapidentur opes.
 11 O miseram patriae faciem ! O miseranda, veternum
 12 auferet ex oculis quae medicina tuis ?

JOANNI CASELIO.

E2_27 v.1 Aegroto quam sponte dares, da jure timenti
 2 aegrotare tuo veniam non durus amico,
 3 post tot continuas epulas qui horrore febrili
 4 cogitur admonitus dubiis absistere cenis,
 5 parvula ni magno comitata dolore voluptas
 6 sit potior, vitamque gulae postponere praestet.
 7 Quod mihi Socraticas nosti interdicerere chartas.

HENRICO BUSCHIO CONSULI SUNDINIO.

E2_28 v.1 Dum fasces curamque sui tibi patria mandat,
 2 clare vir ingenio, clare vir eloquio,
 3 gratulor ex animo veteri haud ingratus amico
 4 istud honorificae condicionis onus.
 5 Atque idem votis sinceri pectoris opto,
 6 ut tibi qui confert munera tanta Deus :
 7 idem restituat firmi tibi corporis artus,
 8 par oneri imposito consul ut esse queas.
 9 Efficiat rata vota Deus, sic morbus honori
 10 cedet, et in patriae commoda sospes eris.
 11 Sospes eris, meritisque tuos cumulabis amicos,
 12 et fies populi fida columna tui.

AEROBATEIN.

E2_29 v.1 Desine mirari quod rapta per aera quondam
 2 iverit insolitis Iphigenia viis.
 3 Me quoque sublimis raptavit in aera currus,
 4 ostia dum Varni nuper adire juvat.
 5 Tunc equidem vitrea sublatu in aethera lamna
 6 sustinui aereas ire redire vias.
 7 Nam caelumque solumque inter rota tracta volabat,
 8 ungula ne terram tangere posset equi.
 9 Ficta putas ? Frontemque trahis ? Nil verius istis,
 10 vana licet quivis dicta fuisse putet.
 11 Tunc etenim Varnus ferratos vitreus orbes
 12 constrictus glacie grande ferebat onus.

IN POEMATA C. S.

E2_30 v.1 Flaminio fuerat Jesu tabescere amore
 2 res omnium dulcissima :
 3 molliculis idem numeris cantabat Iesum
 4 suae salutis vindicem :

5 est tibi Caspar idem studium, similisque facultas
 6 Jesum sonantis barbiti,
 7 ergo quod ille Italis fuit, id dulcissime Caspar
 8 natali eris Germaniae.

IN PHILOPRATTUM.

E2_31 v.1 Officium tibi mandatum, Philopratte, requirit
 2 ut doceas pueros prima elementa rudes.
 3 Hoc tu neglecto tota discurris in urbe.
 4 Et tibi vel summus res aliena labor.
 5 Nunc hic nunc alibi mutatis sedibus haeres,
 6 sic fraudata suo flore juvena perit.
 7 Quaeso quid insanis ? An ubi tibi plurima mandat
 8 et Deus et ratio muneris ampla tui,
 9 tu facies minimum ? Sed nil ubi mandat, ibidem
 10 plurima tu facies proficiesque nihil ?
 11 Propria quin curans aliena negotia linquis,
 12 hic satis et nimium quod mediteris habes.

EPIGRAMMATA AD FILIOS FILIASQUE CLARISSIMI HEROIS, PETRI A MENCINGEN.

E2_32 v.1 Scripserit ut patris breviter mea Musa labores,
 2 cernitis o patriae fulcra futura domus.
 3 Dignior ille quidem majori laude fuisset,
 4 virtutis propter nomina clara suae.
 5 Sed me plura viae prohibent, et nausea ponti,
 6 aestas tota quibus paene peracta fuit.
 7 Et patris immenso cum laus celebretur in orbe,
 8 carminis et nostrae nil quoque laudis eget.
 9 Nunc quoque vestra brevi celebrabo nomina versu,
 10 congrua cum rebus sint ea saepe suis.
 11 Vos ea quae scribam placido cognoscite vultu,
 12 et facite ut ratio nominis apta monet.
 13 Sic eritis magno similes virtute parenti,
 14 sic abavis eritis sic atavisque pares.
 15 Nomina non frustra cunctis sunt indita rebus,
 16 nomine de proprio quilibet omen habet.

JOANNI PHILIPPO.

E2_33 v.1 Tu senior, tibi me est aequum parere, Philippe,
 2 tu Mencingiatae prima columna domus.
 3 Tu quae te deceant sine me monitore videbis,
 4 de virtute tua nec dubitare queo.
 5 Nec moneo, sed pauca tamen, quae nobile nomen
 6 admonet, esse tibi commemoranda puto.
 7 Propter Joannis nomen tibi gratia Christi
 8 Cara sit, et Christi sit tibi grata domus.
 9 Sic carus gratusque Deo, tua sceptrata vicissim,
 10 et patrias laeta mente tenebis opes.
 11 Sic animosus eques, magnus sic jure Philippus,
 12 sic eris et patriae gratia grata tuae.
 13 Nobilis excellens, et eques laudabilis ille est,
 14 qui virtute Deo, carus et est populo.

FRIDERICO.

E2_34 v.1 Pacifico Salomona pium qui nomine regem,
 2 voce licet patria, mi Friderice, refers :
 3 fac illi studio pacis, fac mente sagaci,
 4 ut similis, domui sis nova fama tuae.
 5 Pace nihil melius, nihil est optatius orbi,
 6 splendidus inferior pace triumphus erit.
 7 Hanc venerare libens, hanc imo dilige corde,
 8 nullius illa tibi causa doloris erit.
 9 Res etiam parvas augens concordia servat,
 10 dissidiis magnae dilapidantur opes.

BURCARDO.

E2_35 v.1 Tu, Burcarde, etiam, si vox tibi promptior esset,
 2 ingenio posses nobilis esse tuo.
 3 Sed rerum summo placuit quodcumque parenti,
 4 fortiter et placide nos tolerare decet.

ANNAE BENEDICTAE.

E2_36 v.1 Anna notat miseram, sed cum Benedicta voceris,
 2 Anna quid hoc melius nomine, quidve prius ?
 3 Non est ille miser, mundo licet esse putetur,
 4 quem dolor et Christi crux benedicta beant.
 5 Talis et in summis poterit gaudere periclis,
 6 fortior, impositum quo magis urget onus.
 7 Cernis ut annosam florere cacumine quercum,
 8 stirps cava cui flammis semiperusta patet.
 9 Magnanima adversis sic et patientia rebus
 10 floret, et e damnis nobile robur habet.
 11 Quisquis es adversis noli succumbere rebus,
 12 cum mala pertuleris maxima, magnus eris.
 13 Crux benedicta bona est : mala, quam malefacta merentur,
 14 praeparat ad caelum crux benedicta viam.
 15 Ergo pie quicumque cupis traducere vitam,
 16 disce pati, et Christo fidere, disce mori.
 17 Anna decens annis, forma, vultuque venusto,
 18 te gemini ratio nominis ista monet.
 19 Tu similis matri vero pietatis amore,
 20 Anna annos multos, sed benedicta, vale.

BERNARDO.

E2_37 v.1 Te quoque, care puer, duro qui forsan ab urso
 2 nomen habes, memorem nominis esse decet :
 3 viribus ille valens, animoso robore pollet,
 4 quaerit et in celsis aurea mella jugis.
 5 Ille solet natam lambendo effingere prolem,
 6 ut rudis in formam massa decenter eat :
 7 sic, Bernarde, amplam cum sis dimissus in urbem,
 8 qua jungunt vitreas Rhenus et Ellus aquas,

9 ingenium studiis, et honestis moribus orna,
 10 ut redeas patriae cultus in arva tuae.
 11 Hoc tamen ut fiat, nullo frangere labore,
 12 ardua virtutis nec bene trita via est.
 13 Quin etiam celsos Musas habitare recessus,
 14 carminibus vates edocuere suis :
 15 scilicet ignavi procul his arcentur ab oris,
 16 et tantum assiduis culmina summa patent.
 17 Huc contende libens, hic se tibi vera voluptas
 18 offeret, et studiis digna corona tuis.
 19 Illa corona favos et mel dulcedine vincet,
 20 illa dabit canis gaudia vera tuis.
 21 Et spem cum genitrix de te conceperit amplam,
 22 suggerat et studiis otia grata bonis :
 23 nos etiam multum de te speremus, et olim
 24 patria sit frenis subjicienda tuis ;
 25 care puer, vigila, nec votum falle parentis,
 26 perge sed inceptam continuare viam.
 27 Ingenium tibi praeclarum natura Deusque
 28 contulit, hoc utens munere magnus eris.
 29 Hoc votis ego sinceri tibi pectoris opto,
 30 optat id ex animo patria tota, vale.

ELISABETHAE.

E2_38 v.1 Elisabetha tuum nomen quid pluribus ornem ?
 2 Parvula quae Christi morte recepta domo es.
 3 Unde tuus patriae tumultus vicinior urnae
 4 cernitur, et formae dulcis imago tuae.
 5 Ast animus superas alte delatus ad arces,
 6 cum patre caelicolis gaudet inesse choris.
 7 Illius ante pedes jam parvula ludis, et illi
 8 ut prius in terris jam quoque grata places.
 9 Felix qui tenero moriens exstinguitur aevo
 10 ne cumulet poenas in sua damna graves.

PHILIPPO ERARDO.

E2_39 v.1 Cultor honestatis constans, et amator equorum
 2 diceris, ingenuos nomen utrumque decet.
 3 Sic tamen ut firma nectatur utrumque catena,
 4 nec primum alterius destituatur ope.
 5 Ergo sacrae pietatis honos, constantia, virtus,
 6 imprimisque Dei sit tibi carus honos.
 7 Et si forte salus patriae, officiumve requirat,
 8 vectus equo, forti pectore bella gere.
 9 Victor et exuto redeas spectabilis hoste,
 10 cingat ut egregium pulchra corona caput.
 11 Pro Christo et patria belli perferre labores
 12 est decus, et priscae nobilitatis honos.

GEORGIO.

E2_40 v.1 Agricolam jubet esse tuum te nomen, ut illi
 2 sis similis vitae condicione tuae.

3 Agricolae defende, tuis da jura colonis,
 4 ut decet in dura sudet arator humo.
 5 Sic tibi munificae complebunt horrea messes,
 6 sic Cereris grato fenore laetus eris.
 7 Agricola toto nihil est felicius orbe,
 8 haec olim regum cura ducumque fuit.

WILHELMO PETRO.

E2_41 v.1 Parvule defunctum referas cum nomine patrem
 2 Petre, tuo similem te decet esse patri.
 3 Ut fuit ille gravis, petra et constantior alta,
 4 sic eris et constans, sic eris ipse gravis.
 5 Nil levitate magis praeclaro dedecet ortos
 6 sanguine, magnanimis displicet illa viris.

HANNAE.

E2_42 v.1 Hanna tibi pulchrum donavit gratia nomen,
 2 et Charites formae contribuere decus.
 3 Det Deus ut multos vivas feliciter annos,
 4 sic Charis et patriae lux eris Hanna tuae.
 5 Quin et grata Deo, miserae post tempora vitae,
 6 et vives superis grata puella choris.

DE CEREBRO HOMINIS AD CEREBROSUM.

E2_43 v.1 Concavitas capitis tota est repleta cerebro,
 2 quod physici monstrant corpora secta manu.
 3 Vix cervo majus cerebrum natura, vel urso,
 4 vix vitulo tribuit cornigeroque bovi.
 5 Si placet ipse vide : teque ipso iudice disces,
 6 quam magno in cerebro nil habeas cerebri.

ECHO.

E2_44 v.1 Nympha repercussa repetens data carmina voce,
 2 dic quid proficimus divitiis ? Vitiis.
 3 Qui pascit gentes, urbes, et regna, laborum
 4 praemia numne refert certa colonus ? Onus.
 5 Quid Bibulo fiet qui multos opprimit, et quem
 6 salsos jam pisces mandere taedet ? Edet.
 7 Qui cumulabat opes misere violando misellos,
 8 quomodo privatus postmodo deget ? Eget.

ECHO.

E2_45 v.1 Nusquam tuta fides, qui credit fallitur : ergo
 2 num mihi nympha voles dicere fide ? Vide.
 3 Hactenus in viduo consumpsi tempora lecto,
 4 an mihi nupta datur sat generosa ? Rosa.
 5 Anne etiam ingratos alo nunc praeceptor alumnos,
 6 ut mihi sit pietas exitialis ? Alis.

7 Quis caput huic noxae, quis damni signifer ? I fer.
8 Non erit hoc ipsis exanimale ? Male.

ECHO.

E2_46 v.1 Tantum equitare queunt cur nati regibus ? Ecquis
2 Est regi et miseris omnibus aequus ? Equus.
3 Num nativa tui quaeso vox gutturis ? Uris.
4 Queisnam conveniet lingua Thrasonis ? "Onois".
5 Quis novus hic verborum opifex orator ? Arator.
6 Miles num felix est veteranus ? Anus.
7 Quae cito vita fugit numquid revocabitur ? Itur.
8 Sic volat a Borea concita navis ; avis.
9 Ergo vale tandem resonans e vallibus Echo.
10 Nil tua sentiscant gaudia tabis. Abis ?

IN QUERCULUM.

E2_47 v.1 Cimmeriis fuerat tenebris obscurior iste
2 Querculus, ad ripas Sequana flave tuas,
3 hic ubi raucisono replebat pulpita fastu,
4 barbariae e media faece petita sonans.
5 Clarior at fuerat Phoebeco lumine Cladus,
6 dulcisono miros cum daret ore sonos.
7 Omnia culta loquens Musarum e fontibus hausta,
8 et Ciceroneis aemula saepe libris.
9 Sed nunc quando jacet crudeli caede peremptus,
10 insultat tanto Querculus iste viro.
11 Querculus obscuris obscurior omnibus unus,
12 scilicet hoc optat clarior esse modo.
13 Nec male res cedit, siquidem te, Quercule, nosset
14 nemo, nisi Cladi Cerberus ille fores.

IN EUMDEM.

E2_48 v.1 Quis tibi dictavit tam crassos, Quercule, versus ?
2 Et serrae et follis qui referunt strepitum :
3 non equidem Musae, non Musis ductor Apollo,
4 nam fonte a puro te procul ire jubent
5 sed chorus Eumenidum, bubo, tristisque Megaera,
6 scribenti insulsos accinuere sonos.

IN EUMDEM.

E2_49 v.1 Audet ut exanimi lepus insultare leoni ;
2 Herculis extincti nanus ut ora petit :
3 sic Cladi manes male nato Quercule versu
4 conspui, in vita qui tibi terror erat.
5 Cui non auderes redivivo dicere salve,
6 aut oculos saltem sustinuisse viri.
7 Quercule stulte, tace : non sunt tua carmina tanti
8 ut possint tantum dedecorare decus.

IN EUMDEM.

E2_50 v.1 Querculus Aonias sapientum octavus ad arces
 2 tendebat celeri, spe praeunte, gradu.
 3 Aspicit hunc miserans obliquo lumine Phoebus,
 4 infamique videns carmina facta modo,
 5 exspuit, illorumque timens contagia, furcam
 6 arripit, impurum praecipitatque senem.
 7 Ille gemit, tantisque miser quia decedit ausis,
 8 cum nequeat superis carmina digna loqui ;
 9 evomit in manes mendoso opprobria vorsu.
 10 O vere Stygiis digne poeta choris.

EPITAPHIUM EJUSDEM QUERCULI.

E2_51 v.1 Querculus in Ramum qui tot convicia dixit,
 2 hic querno in ramo turpe putrescit onus.

IN CHRYSUM.

E2_52 v.1 Aureolus fueras rebusque et nomine quondam,
 2 quando erat officio congrua Musa suo ;
 3 at nunc infami manes cum voce laccessas,
 4 perfidaque Antiochi carmine facta probes :
 5 nequaquam Aureolus posthac censeberis ulli,
 6 dignior auriti nomen habere Phrygis.

IN CONJUGIUM CROTALI ET LALAGES.

E2_53 v.1 Garrulus est Crotalus, Lalage cui contigit uxor
 2 garrula, quo videas jungere fata pares.
 3 Quid censes ? An non tali de matre disertos
 4 producet natos ille loquax Crotalus ?
 5 Non nego. De Crotalo mera quin crepitacula nasci,
 6 ex tam multiloqua conjuge posse puto.

IN LOLLIUM SALINATOREM.

E2_54 v.1 Fons salis in patria Lolli est quem praedicat ipse,
 2 quando salinarum de strue multa crepat.
 3 Sed si hominis mores, si vultum, verbaque spectes,
 4 non est in toto corpore mica salis.

AENIGMA EX VERNACULO.

E2_55 v.1 Arbor inest silvis duodenis ardua ramis :
 2 ramus habet nidos triginta quilibet : ova
 3 bis duodena quique jacent nido indita : circum
 4 quinquaginta duaeque solent cantare volucres :
 5 has mures gemini, hic albus, niger ille, vicissim
 6 arrodunt, et dente fero consumere tentant.
 7 Sed mures volucresque simul, cumque arbore nidos,
 8 accelerans feles, ultrici devorat ore.

9 O superi, quantis sunt omnia plena periclis !
10 Tutus ab insidiis hujus quis felis abibit ?

AENIGMA E GRAECO.

E2_56 v.1 E silvis natiq̄ue duo, totidemq̄ue parentes
2 tres referunt cervos : quivis sed ceperat unum.

IN QUANTULUM.

E2_57 v.1 Est mihi laus superis, mens sano in corpore sana,
2 membra lacertosis sunt bene firma toris.
3 Tu levior pluma, et digito vix ligneus uno
4 altior, et costas cui numerare licet,
5 me pinguem crassumq̄ue vocas, an, Quantule, nescis
6 me crasso ingenium crassius esse tuum.

JOANNI SCOGARDIO, CONSIL. REGIO.

E2_58 v.1 Cum tua sint Phoebō doctisque exculpta Camenis
2 pectora, quae durae nil feritatis habent :
3 quid mirum studiosa cohors si grata vicissim
4 suspicit et passim te celebrare studet ?
5 In quorum numero non est postremus habendus
6 quem modo litterulas has tibi ferre vides.
7 Tu linguas artesque bonas et dilige Musas,
8 quod facis, et doctos perge fovere viros.
9 Sic nomen laudesque tuas nulla obruet aetas,
10 quae venit a Musis gloria certa venit.

AD MUSAS PRO VENIA.

E2_59 v.1 Versiculos cuidam paucos pro tempore feci,
2 hoc mihi qui dignus visus honore fuit.
3 Nunc video vanum, tumidum, vacuumque pudore,
4 et vestri osorem perniciemque chori.
5 Dedecus is juveni credit componere versum,
6 ignorans numeros, carmina, metra, pedes.
7 Dedecus ille seni Musis incumbere jactat,
8 et tamen ornari versibus ipse cupit.
9 Peccavi fateor : faciles ignoscite Musae,
10 ne dicar castas prostituisse Deas.
11 At tu, quisquis eras, a nobis poscere carmen
12 desine, qui numquam carmine digna facis.
13 Te canat Eumenidumque chorus, tristisque Megaera,
14 Pieridum numquam postmodo carmen eris.

PORCIUS.

E2_60 v.1 Basia nasutae cupiens libare puellae
2 Porcius : ista vetat basia nasus ait.
3 Illa sub haec. Ergo adversae da basia parti,
4 impediens a qua basia nasus abest.

THEOPHILO KENTMANNO.

E2_61 v.1 Phillyrides Chiron magni praeceptor Achillis
 2 Aesonidaeque olim Phoebigenaeque fuit.
 3 Sed tibi Fabricius vir magnus et optimus idem
 4 contigit, is multo te meliora docet.
 5 Te meliora docet pater inclitus arte medendi,
 6 sit parere tibi summus utrique labor,
 7 sic olim virtute patri, pietate magistro
 8 par eris, et caeli carus in arce Deo.
 9 Justitiaque nova caelo spectabilis alto,
 10 Phillyriden vinces lucis honore tuum.

IN LANDINUM.

E2_62 v.1 Si titulum, nomenque novi, Landine, magistri
 2 consensu unanimi dat schola nostra tibi :
 3 quod Sophiae et Musis sollerti mente vacares,
 4 et studiis esset consona vita tuis.
 5 Quae Deus in caelis olim tibi praemia reddet ?
 6 Qui populos etiam de pietate doces.
 7 Crede mihi, quanto sacra sunt potiora profanis :
 8 tanto tunc etiam laus tua major erit.

LINGUA.

E2_63 v.1 Lingua bonum quo non aliud praestantius ullum,
 2 lingua malum quo non aliud damnosius ullum.

CAECULUS ET LYNCEUS.

E2_64 v.1 Te defioculo minus videre
 2 dicis, Caecule. Quis enim negarit ?
 3 Quin defioculum videre plura
 4 quam Lynceus geminis sagax ocellis
 5 ausim dicere. Quis et hoc negabit ?
 6 Huic Lynceus oculis duobus unum,
 7 ille uno videt huic duos ocellos.

SENEX ET PUELLA. JUVENIS ET VETULA.

E2_65 v.1 Sitne rogas melius vetulam si ducat ephebus,
 2 aut nubat tremulo si nova nupta seni ?
 3 Quaestio digna quidem ; cujus me solvere nodum
 4 si jubeas, a me talia dicta feres.
 5 Hoc illo est melius. Vetulae nam junctus ephebus
 6 hei miser in sterili solus arabit agro.
 7 At senior teneram ducens aetate puellam,
 8 multorum juvenum sentiet auxilium.

PASIPHAE.

E2_66 v.1 Pasiphae potius formoso nubere tauro
 2 quam voluit licito regis amore frui ;
 3 credis ab hac stolidas multum differre puellas.
 4 Quae stolidos doctis praeposuerunt viris ?

CHRONOLOGIA.

E2_67 v.1 Ordine gestarum disponere tempora rerum,
 2 et mundi varias arte notare plagas,
 3 est geminos gestis affingere rebus ocellos,
 4 et nautis media pandere nocte polum.
 5 Totius historiae liber hic tibi lumina praefert,
 6 si libet ambiguas hoc duce carpe vias.

ALIUD.

E2_68 v.1 Si quis in historiis ignarus temporis erret,
 2 nec loca pervideat res ubi gesta fiat,
 3 caecus in ignota misere is regione vagatur,
 4 ceu nauta in vasto nocte silente mari.
 5 Historiae liber hic certum tibi pandit ocellum,
 6 qui velut ambiguae sit cynosura rati.

'SOPHOI ASOPHOI' (grec)

E2_69 v.1 Pulsare innocuam matrem, maledicta parenti
 2 ingerere, et domino fraude nocere suo,
 3 saepe impune licet, punit quoque nemo, sed ultro
 4 mercedem fures, quam mereantur, habent.
 5 Qua ratione etenim non illos dixero fures ?
 6 Qui praestant operas fraude doloque suas :
 7 immensus quorum numerus, quos nemo coercet,
 8 nemo pollicitum cogit ad officium.
 9 Sed servum si mendacem, turpemque malumque
 10 officii multes pro ratione tui ;
 11 tunc tibi vel lites certae, vel poena parata est,
 12 quam subito nullo te redimente lues.
 13 Egregias vero leges, legumque patronos !
 14 Si malefacta juvant, et benefacta nocent.

ORION.

E2_70 v.1 Cernitur Orion magni pars maxima caeli
 2 mane sub australi luce micante plaga.
 3 Rex fuit is, summique avidus scrutator Olympi,
 4 illius hinc sidus nobile nomen habet.
 5 Hic patre quo natus, cur sit sublatus in astra,
 6 dulcisono nobis carmine Naso refert.
 7 Cui placet, id mecum placido cognoscere vultu.
 8 Adveniat solitos cum dabit hora sonos.

IN PROPHORUM.

E2_71 v.1 Tu solus iuvisti omnes, tibi debita soli
 2 gratia, quae meritis par nequit esse tuis.
 3 Non equidem invideo, miror magis, omnia solum,
 4 velle hominem, et summo plus quoque posse Deo.

IN CARMINA MELISEI.

E2_72 v.1 Nuper ut haec pietas Melisei carmina vidit,
 2 "Haec, ait, est nutu vena probanda meo.
 3 Scribite vos alii Veneres et furta poetae,
 4 haec mihi prae vestris carmina sacra placent :
 5 carmina quae recitant divini encomia verbi.
 6 Laude nihil toto dignius orbe fiat."

IN ASTERIEN VIVAM ET STELLAS CONTEMPLANTEM, E GRAECO.

E2_73 v.1 Suspicias Asterie stellas mea : caelum utinam sim ;
 2 pluribus ut videam te mea lux oculis.

IN AUSTERIEN DEFUNCTAM.

E2_74 v.1 Austerie vivens vivis fuit alter Eous,
 2 mortua defunctis Hesperus alter erit.

IN CURRUCAM.

E2_75 v.1 Cum curruca sedes alienae ad pabula cenae
 2 ne sis postremus cautio summa tibi est.
 3 Posthabitis igitur quibus hi debentur honores
 4 vel primis etiam proximus esse cupis.
 5 Et voti compos, summo tibi jure videris
 6 maximus, et vano vanus honore tumes.
 7 Tunc etiam cum quemque domum vocat hora, priores
 8 inter es, et domino porrigis ante manum
 9 quam reliqui possint. Haec est tua gloria summa,
 10 hic tibi summus honos, hac tibi laude places.
 11 Cum vero est tandem ventum extra limina portae.
 12 Postremo in tenebris vis miser ire loco.
 13 Tunc urges alios, alieno intentus honori :
 14 tum vis neglectis ante placere viris.
 15 Sed quem sprevisi caelo lucente sereno,
 16 egregios inter conspicuosque viros.
 17 Is curruca tuos nil noctu curat honores,
 18 quin prior in tenebris sis tenebrose tuis.

IN PSEUDOASTRONOMUM.

E2_76 v.1 Te caelum caelique vias et sidera nosse,
 2 te simul acie mentis adire polum.
 3 Sed tamen ingluvie semper distentus anhelas,

4 rarius et nihil est sobrietate tibi.
 5 Numne igitur caeno immersus profitebere caelum ?
 6 Cum sis gastronomus, numne eris astronomus ?

IN IMAGINEM P. MELISSI.

E2_77 v.1 Si faciem tibi nosse libet vultumque Melissi,
 2 mellifero cujus nectare vena fluit :
 3 hic ille est. Frontemne vides sine nube serenam.
 4 Quaeque supercilio lumina blanda carent ?
 5 Hoc caput, haec frons est, dudum cui laurea Caesar
 6 Aonio imposuitserta jubente choro.
 7 Hoc caput, hoc cerebrum, quo princeps illa Sororum
 8 Calliope sedem gaudet habere suam.
 9 Hi vigilēs placidique oculi, quibus ipsa venustas
 10 emicat, et blando lumine grata Charis.
 11 Haec labra Hyblaeos late spirantia flores,
 12 de quibus ipsa favos Attica fingit apis.
 13 Hoc pectus plenum fidei, pietatis, amoris,
 14 atque adeo castae sobrietatis amans.
 15 Quisquis es, huic juveni felicia cuncta precare,
 16 nec pigeat votis sollicitare Deum,
 17 servet ut alveolos, et amantes mella melissas,
 18 aque suis fucos arceat ipse favis.

INSCRIPTIO STATUAE GIGANTEAE HERCULIS, IN CURIA BONONIENSI TALIS EST.

E2_78 v.1 Haec finxit novus ora mi Prometheus,
 2 Alcides vocor, heus abite monstra.

RESPONSIO AUCTORIS.

E2_79 v.1 Nec finxit faciem tibi hanc Prometheus
 2 monstrosam novus, illa cum deorum
 3 non sit effigies, vetus Prometheus
 4 cui vultus similes creasse fertur.
 5 Alcides neque tu lapis vocaris
 6 immotus, rigidus, tacens, tricorpor.
 7 Sed nec jure homines vocare monstra
 8 monstrosus potes ipse saxeusque
 9 vel monstri soboles, vel ipse monstrum.

IN CODRUM.

E2_80 v.1 Dedicat ipse sibi quare sua carmina Codrus ?
 2 Se magis in toto diligit orbe nihil.

IN COCCIUM PARODIA EX CATULLO.

E2_81 v.1 "Farcula" dicebat, si quando "fercula" vellet
 2 dicere, et "Herculeum" Coccius "Harculeum"
 3 et tum mirifice sperabat se esse locutum,
 4 cum quantum poterat dixerat "Harculeus".

5 Contra si "barbam" cupiebat dicere, "berbam"
 6 protulit, huic "parcus" denique "percus" erat.
 7 Hoc tandem extincto requierant omnibus aures.
 8 Audibant eadem haec suaviter et graviter.
 9 Nec sibi pro "verbis" metuebant "varba" deinceps,
 10 nec sibi pro "sertis" "serta" ferenda putant.
 11 Aeternos neque sermones hos esse futuros,
 12 cum subito affertur nuntius horribilis :
 13 Cerbereos rictus, postquam illuc Coccius isset.
 14 Jam non "Cerbereos", sed fore "Carbereos".

IN EUMDEM.

E2_82 v.1 "Lifia" dicebat, cum dicere "Livia" vellet
 2 Coccius, huic victus robore, fictus erat.
 3 Idem mirifice credebat se esse locutum,
 4 pro "vitulo" quando protulerat "fitulum".
 5 Culpabant omnes, sibi sed soli iste placebat
 6 Coccius, et solito flat loquiturque modo.
 7 Infelix, nam collectis ex fenore nummis
 8 dum sibi se vicum velle parare putat ;
 9 in solidum expositis nummis, ex arbore ficum
 10 pro vico accepit stultus, et ingemuit.

IN BATRACHUM.

E2_83 v.1 Quidquid agit Sturnus, quidquid meditatur, id ipsum
 2 Batrachus ut furax Simia rursus agit.
 3 Nec tamen est, quamvis exoptet Sturnus haberi,
 4 ni forte in similes incidat ille sui.
 5 Sed nec erit Sturnus, vel cum censebitur esse,
 6 aequabit vastum tum quoque rana bovem.

IN ROSAS, AQUILAM, ET MANUM CLAVIGERAM, INSIGNIA CONRADI ALBINI.

E2_84 v.1 Ut volucrum regina Jovi sacer ales habetur,
 2 utque rosam florum sceptrum tenere putans,
 3 gens tua sic patriis dudum sese extulit oris,
 4 et primas inter nomina prima tulit.
 5 Felices, Albine, rosas, aquilamque volentem,
 6 quas tegit aetherae clava suprema manus.

IN EADEM.

E2_85 v.1 Musarum eximios irati et Martis alumnos
 2 quis dubitet gentem saepe tulisse tuam ?
 3 Cum triplices, Albine, rosas, clavamque trinodem
 4 ostendet clipei picta tabella tui.
 5 Scilicet Herculeos designat clava labores,
 6 quos tulit armata gens tua clara manu.
 7 At rosa Musarum sacris addicta corollis
 8 Aonidas pariter vos coluisse notat.
 9 Artibus his veros vobis Jovis ales honores
 10 contulit, hinc vobis Caesaris aura favet.

11 Tu, felix Albine, rosis, complectere Musas,
12 quod facis, Herculeis arma relinque viris.

IN AVARUM.

E2_86 v.1 Morbo animae curisque levat te quando sacerdos
2 huic das vel minimo quod minus est obolo ;
3 si corpus curat medicus, paulo amplius addit.
4 Sic tamen ut sordes arguat ille tuas.
5 Sed nummi si causa agitur, si fenora poscunt,
6 causicidicis imple largus utramque manum.
7 Hos tibi patronos offendere cautio prima est.
8 Cernitur hinc animae quae tibi cura tuae.

IN TABULAS LAURENTII PANCALI. I. C.

E2_87 v.1 Ordine fusarum titulos distinguere rerum,
2 multaue pauciloquis significare notis,
3 est clara obscuris adjungere lumina rebus,
4 et nautis media pandere nocte polum.
5 Dignum opus egregiis juvenum doctoribus, inde
6 ad quos utilitas non operosa redit ;
7 imprimis tractent si sacri aenigmata juris,
8 quae tali numquam luce carere queunt.
9 Hoc tibi dum studio, et gratis brevitare tabellis
10 commodat ingenii Pancalus arte sui,
11 Pancalus haud segnis legum jurisque patronus,
12 Pancalus Astraeae cura decusque suae,
13 utere dum fas est hac commoditate juventus.
14 Nulla tibi hiberno frigore messis erit.

IN HILLUM.

E2_88 v.1 Cur toties excandescit, clamatque salitque
2 cum nulla aut saltem frivola causa subest ?
3 Morose usque adeo cur servis imperat Hillus ?
4 Imperat, et semper flagra minasque crepat !
5 Vis dicam ? A teneris nulli umquam serviit annis.
6 Liber et arbitrio vixit ubique suo.
7 Hinc servi affectum ignorat, fidoque ministro
8 quam grave sit rixas, jurgia, probra, pati.
9 Ergo mali ignarus, miseris ignoscere nescit,
10 semper et ad domini munus ineptus erit.

IN LUSCINIAM STEPH. PRAET.

E2_89 v.1 Lusciniam Stephanus veris dum laudibus ornat
2 vocis et argutae vimque modosque docet ;
3 attendunt philomelae omnes, laudantque vicissim
4 nomina praeconis iudiciumque sui.
5 Illius hinc laudes memori nemo eximet aevo,
6 donec lusciniae, carmina donec erunt.
7 At tu lusciniae qui ingratus honoribus obstas,
8 bubonum in tenebris flebile carmen habe.

IN MICROPSYCHUM.

E2_90 v.1 Cum tibi nemo pares referat, te iudice, grates,
 2 ingratos omnes et fore et esse refers.
 3 Hoc ais, hoc repetis, pleno ipso ingrator ore,
 4 inculcans meriti pondera mira tui.
 5 Odi equidem ingratos foedo cane pejus et angue.
 6 Nescio sed gratus quis queat esse tibi.
 7 Cum sis ipse etenim meritorum praeco tuorum,
 8 quis facere assidue quod facis ipse velit ?

IN CATONEM.

E2_91 v.1 Hunc quoque nervosa magnum brevitatem libellum
 2 accipe, care puer, quaeque huic adjuncta leguntur
 3 imbibe mortali praecepta salubria vitae,
 4 atque eadem semper generosis exprime factis,
 5 majores imitando tuos, quos inclita virtus,
 6 virtus fortuna comitante, ad culmina rerum
 7 extulit, et vera fecit clarescere fama.
 8 Sic catus, et carus superis, matricum tuisque
 9 omnibus, eximia multorum laude frueris,
 10 implebisque tuos placide et feliciter annos.

IN CATECHESIN AD B. A MENCINGEN.

E2_92 v.1 Clara est nobilibus laus esse parentibus ortum,
 2 clarior e studiis ingenioque venit.
 3 Quae duo si pietas ornet, clarissima laudum
 4 censeri haec merito nobilitasque potest.
 5 De tribus ingeniose puer tibi contigit unum,
 6 alteriusque tibi semina jacta virent.
 7 Quod superest liber iste docet, tu sedulus illum
 8 imbibe, sic specimen nobilitatis eris.

MENSES ANNI

JANUARIUS.

E2_93 v.1 Janus amat victum tepidum, gratosque liquores,
 2 qui bene jam puro sanguine corpus alant.
 3 Vena nocet tum secta tibi, sed balnea prosunt,
 4 et labor, et dulcis, si sit honesta, Venus.

FEBRUARIUS.

5 Febris nomen habens, et lenta febre timendus.
 6 Scindendam venam pollicis esse monet.
 7 Idem vitat olus rigidum, volucresque palustres,
 8 pharmacaque et calidi flumina fontis amat.

MARTIUS.

9 Dulcia Mars acrique tamen condita sapore
 10 diligit, humores nam ciet ille graves.
 11 Jam puris te pasce cibis, et pharmaca linque,
 12 quin etiam venae sectio saepe nocet.

APRILIS.

13 Ut terrae vires, aperit sic corpus Aprilis,
 14 nostraque sunt multis pervia membra poris.
 15 Humores nimios, vinum, venterque solutus,
 16 et labor, et Cypris, venaque secta levat.

MAIUS.

17 Maio flava tumet bilis, jam dulcibus uti
 18 convenit, et liquidis, sit moderata Venus,
 19 nec labor immodicus : multum jam balnea prosunt,
 20 pharmacaque et modico vena cruore fluens.

JUNIUS.

21 Junius ex animo tristes expellere curas,
 22 laetitia et mentes exhilarare jubet.
 23 Ergo fuge humori quae sunt contraria vivo,
 24 vescere lactucis, pharmaca nulla bibe.

JULIUS.

25 Omnia nunc ardent, nunc est calidissimus annus,
 26 vita igitur Cypriae, fervida sacra deae,
 27 intactae maneant venae, fuge balnea et aestus,
 28 et tibi sit somni parca brevisque quies.

AUGUSTUS.

29 Augustus Venerem, somnos, et rejicit escas
 30 immodicas, atra corpora bile tument.
 31 Tu liquidis gelidisque utens salsisque cavebis
 32 pharmaca, aquas gelidas, nec tibi vena fluet.

SEPTEMBER.

33 September vinum redolens, et aromata curat,
 34 tum tibi de fetu palmite poma nitent.
 35 Lacte caprae presso nunc vescere, pharmaca sume
 36 si sit opus, venas scinde cruore graves.

OCTOBER.

37 Nobilis aucupio, vinis, plagisque ferarum
 38 october, volucres, vina ferasque refert.
 39 Haec cape, sed modice, membra exerceto labore,
 40 vescere acetosis, nec prohibenda Venus.

NOVEMBER.

41 Balnea jam raro, Veneris sed gaudia numquam
 42 expedient, subito ni cupis esse senex.

43 Jam stomacho mulsam, jam gingiber utile credunt,
44 conditum aereo si tibi melle fluat.

DECEMBER.

45 Cum sudore lava jejunos mense Decembri,
46 ante focum calidis utere, membra move.
47 Defende et frigus cerebro, capitisque cruore
48 vena fluat, spiret cinnama grata calix.

IN CICONIAM, STELLAM ET CORONAM, INSIGNIA MATTHAEI AMMANNI.

E2_94 v.1 Amanni e clipeo serpente ciconia vescens
2 prospicit, huic stellae sub pede flamma micat.
3 Fulgida sed galeam gemmis auroque corona
4 integit. Haec quaeris quid sibi signa velint ?
5 Ut pietatis amans regina ciconia fertur ;
6 Ammannum decorat sic pietatis amor.
7 Haec facit ut dirum latitans sub melle venenum
8 serpentisque dolos non tolerare queat.
9 Oderit et ranas turpi quae voce coaxant,
10 fonticulis pestes, optime Christe, tuis.
11 Illius hinc veluti fulgebunt sidus honores,
12 eximiumque teget viva corona caput.

IN CANDOREM POETARUM.

E2_95 v.1 Derident aliqui, cum candida pectora vates,
2 se laude tollunt mutua.
3 Quos ego ridendos iterum vel jure putarim,
4 et improbandos maxime.
5 Namque alias cum plena malis sint omnia rixis,
6 certare cur non Gratiis,
7 proque odiis augere fidem jam quisque laboret,
8 et mitigare vulnera ?
9 Certe quantum odio praestat concordia, tantum hic
10 poeta praestat ceteris.

JOACHIMO VON DER LUHE, MARESCALCO MEGAP.

E2_96 v.1 Cum norim, Joachime, bonas, clarissime, Musas
2 quo studio, quantaque fide tuearis et ornes ;
3 quippe quibus sis ipse olim nutricibus usus,
4 norim etiam quantum possis, et regia conjunx
5 quanti te faciat merito : hos offerre libellos
6 prae reliquis tibi jam volui, paucisque rogare
7 ut dominae exhibeas, si quando videbitur illa
8 et curis vacua, et placido non nubila vultu.
9 Tu dominae molles aditus, tu tempora fandi
10 optima novisti : tu tenuia munera verbis
11 exornare potes. Quod si id re feceris ipsa,
12 et memorem et gratum dices aliquando Chytraeum.

IN MELISMATA GEORGII HARMINII AD AMPLISS. SENATUM LUBECENSEM.

E2_97 v.1 Musica dulce Dei donum est, si consona Musis
 2 laetificis cantet verba pudica modis.
 3 Imprimisque Dei laudes ad sidera tollens,
 4 harmonia penetret cor animumque gravi.
 5 Hoc ipsum Harminius sacro dum carmine praestat,
 6 dumque sono, ingenio, iudicioque placet,
 7 melle magis mellita mele dum denique fundit,
 8 e priscis artem restituitque libris :
 9 an non dignus erit Musis patrona Lubeca,
 10 quem placida excipias munificaque manu ?

IN CENSOREM.

E2_98 v.1 Labragoram pungis quod morem induxerit olim,
 2 utendi curtis primus in urbe togis.
 3 Et quam grande nefas, quantum sit dedecus illud,
 4 censoris repetis cum gravitate Jovis.
 5 Sed tibi tam celebrate Ceres holoserica primo
 6 cum fastu induerit quod tegumenta, taces,
 7 cum tamen hoc multo sit perniciosius urbi,
 8 serica jam quaevis esse puella cupit.
 9 Hoc loculos magis extenuat, quam curta lacerna,
 10 in vestem sumptus quae vetat esse graves.
 11 Ergo alios si forte cupis reprehendere Censor,
 12 an tua sint primo crimine pura vide.

IN ANDRIAM TERENTII.

E2_99 v.1 Natum bonis quid filium parentibus
 2 commendet atque amabilem reddat bonis,
 3 te, Diderice, Pamphili mores monent
 4 faciles, modesti, continentis, commodi.
 5 Perferre qui patique posset omnium
 6 mores : parentibus libens se dedere,
 7 majoribusque promptus obsequi suis,
 8 aequaliumque adversus esse nemini,
 9 nec fastuose se infimis praeponere,
 10 corrigere culpam, non eam defendere.
 11 Dum facis id ipsum juvenis oratissime,
 12 erisque semper, et vocabere Pamphilus.

IN EUNUCHUM.

E2_100 v.1 Mores Thrasonis et Gnathonis en tibi
 2 vivo colore pingit haec Comoedia,
 3 quamque ille sit inflatus, arrogans, iners ;
 4 hic vanus, audax, perfidusque et impudens,
 5 verbis amicus subdolis vel maximus ;
 6 factis sed ipsis hostis inimicissimus,
 7 docet venuste. Quin ibidem Thaidis
 8 possint dolosae quid, videtur, lacrimae.
 9 Bernarde juvenis optime et clarissime,
 10 parentibusque nate nobilissimis,

11 odisse pestes semper has cautus stude.
 12 Pestes juventae sunt Gnatho, Thais, Thraso.

IN HEAUTONTIMORUMENON.

E2_101 v.1 Natum inscius tractare recte et commode,
 2 vehemens in utramque partem Menedemus nimis,
 3 aut largitate nimia aut parcimonia est.
 4 At scire se unum qui arbitratur omnia,
 5 oculatus est foris, domi caecus Chremes.
 6 Malam, procacem, sumptuosam Bacchidem
 7 amat proterve dissolutus Clitipho.
 8 Bona, pudica, continente, sobria
 9 uxore gaudet et potitur Clinia.
 10 Si non molestum est, Otho nobilissime,
 11 percurrere mecum hanc vitae imaginem libens,
 12 Antiphila sic tua tuque laeti vivite,
 13 recteque natos educate et commode.

IN ADELPHOS.

E2_102 v.1 Nil lenitate melius et clementia,
 2 conviciis, clamore, jurgio nihil
 3 nocentius, vivendo docet hic Mitio :
 4 usuque doctus probat id ipsum Demea.
 5 Ex utriusque denique liberis patet,
 6 quod qui putantur optimi sint pessimi ;
 7 qui pessimi sint saepius vel optimi :
 8 diversa tantum pollet educatio,
 9 coacta tantum differunt spontaneis.
 10 Nicolae patris optimi filii optime,
 11 quod facis, in ipso flore vitae haec imbibe,
 12 sequens sequenda, non sequenda respuens.

IN HECYRAM.

E2_103 v.1 Quid in familiis paene fiat omnibus
 2 inter soceros, generos, nurus, socrus, senes,
 3 tum conjuges, et liberos, et servulos.
 4 Depingit haec scitissime Comoedia.
 5 Iners manu, <sed> lingua fortis garrula (vers lacuneux)
 6 hic servus est : sunt dissoluti liberi,
 7 sunt suspicaces et senes et conjuges,
 8 et matris hic et filii par est amor,
 9 Relligio velum crimini praetenditur,
 10 suspicio amicos separat junctissimos.
 11 Conrade, filii patris integerrimi,
 12 haec ipsa discens, nonne eris prudentior ?

IN PHORMIONEM.

E2_104 v.1 Si tempus umquam fuit, eritve postmodum,
 2 quo pro sapientia melius audacia
 3 uti queas ; id hercule hoc nostro queas.

4 Cum nil sit aliud sapere jam, quam noxiam
 5 velare falsae cautionis tegmine,
 6 fucumque factis improbis obducere.
 7 In quo magister est, et artifex vafer,
 8 levis, dolosus, impudensque Phormio,
 9 qui fabulae hujus principem tenet locum.
 10 Bartolde, legum antistitis fili optime,
 11 hos Phormiones si modestus oderis,
 12 eris patronus juris integerrimus.

IN DISCOLUM.

E2_105 v.1 Quando noces aliis verbis factisque malignis,
 2 immemorem subito quemlibet esse cupis.
 3 Si memor est aliquis ; niger est, ingratus et effrons,
 4 indignusque tua dirus amicitia.
 5 At te vel verbo si quisquam offenderit uno,
 6 tum clamas miris conquererisque modis.
 7 Singula tum repetis, scribisque in marmore cordis,
 8 nulla dies animis eximit illa tuis.
 9 Inconcinne equidem nam cum cupiasque velisque
 10 ignosci ulceribus tuberibusque tuis ;
 11 verrucas cur alterius tolerare recusas ?
 12 Fallor an, es nimio caecus amore tui ?

SAMUELI CALOANDRO COMPATRI MITTIT PHASEOLOS.

E2_106 v.1 Accipe delicias arcti, nisi despicias, horti,
 2 ad palum eductos lupulorum more phaselos,
 3 quos quia Virgilius viles quandoque vocavit,
 4 quale sit hoc munus non te quantumque latebit.
 5 Si tamen hos, siliquae detractis undique fibris,
 6 cultellus transversa secet, juri que recenti
 7 et pingui, pipere affuso, simul incoquat ; illos
 8 delictum dices lauto non vile palato.

COLAX.

E2_107 v.1 Quod teneros regum natos plerumque videmus
 2 degeneres, causa est, si tibi nosse libet.
 3 Turpis adulator, puerum hunc, cum lacte, veneno
 4 imbuit, et caeco perdit amore sui.
 5 Huic omnes se submittunt, et saepius ante
 6 quam sit homo, magnus creditur esse deus.
 7 Qui deus est, jam nec melior nec major haberi
 8 postulat, alterius nec sibi quaerit opem.

'CHARIS ACHARIS' (grec)

E2_108 v.1 Sunt benefactores, veterem qui prorsus amicum
 2 cui bene quid faciunt, semper egere volunt.
 3 A nutu ipsorum solo quo pendeat ille,
 4 quo sine nil tentet, quo sine nil faciat.
 5 Ergo supercilium tollunt grave, quin nec amari

6 sed metui cupiunt, et sua laude vehi.
 7 Si non cuncta probes, si sputum lingere nolis,
 8 ingrati subito flebile nomen habes.
 9 Hos tu ne bene quid faciant tibi forte caveto,
 10 hos Charitum tanquam probra pudenda fuge,
 11 ex aequo ingenuos cum libertate sodales,
 12 vera loqui natos, qui tolerare nequit,
 13 qui premit imperio, dominari assuetus, amicos,
 14 aut meritum inculcat, pestis amicitiae est.

IN QUARTUM GEORGICORUM.

E2_109 v.1 Hactenus arborum cultus, ulmique labores
 2 vitiferae, curamque boum, celerisque caballi
 3 hausimus effigiem divini e fonte Maronis.
 4 Ultimus est apibus labor impendendus : earum
 5 ut mores, regna, alveolos, examina, cellas,
 6 magnanimosque duces, populos, et proelia noris.
 7 Suspicienda equidem levium miracula rerum ;
 8 me duce carpe viam, postremamque aspice partem
 9 admirandi operis : nec quae traduntur in illo
 10 intellecta prius quam sint, neglecta relinque.
 11 Crede mihi, ambrosios spirant hic omnia flores,
 12 mellifluosque favos, et amantes mella melissas,
 13 quas imitare libens, ignavos despice fucos.

NICOLAO NOTBRECHTO.

E2_110 v.1 Quod populum vincas, quod cuncta pericula frangas,
 2 conveniens rebus nomen et omen habes.
 3 Voce etenim populum verae pietatis amore
 4 imbuis et vincis melleus ore tuum.
 5 Insidias Satanae mundique pericula pridem
 6 fregisti, et franges corda movente Deo.
 7 Sis felix victor populi, ruptorque pericli,
 8 perpetuoque tui nominis omen habe.

D. JOANNI CYRIACO LIBERO BARONI POLHEMIO ET WARTEMBURGIO.

E2_111 v.1 Mensis hic est Jani, primi tibi nominis auctor
 2 qui fuit, insignis nobilitate Baro.
 3 Cyriaco in fastis locus est, quando anteit Idus
 4 unica, quae tibi nunc est hodierna dies.
 5 Sic igitur mensis simul et ratione diei
 6 haec, generose Baro, vincla jocosa subis :
 7 vincla jocosa equidem, sed non solvenda, priusquam
 8 sint semel affuso colliquefacta mero.

IN HAMARTUSIUM.

E2_112 v.1 Si tua peccatum est substantia, nil nisi labes
 2 est si naturae fabrica tota tuae ;
 3 usque adeo et sentis si tu haec tua damna, dolesque,
 4 atque alios eadem nosse venena doces ;

5 qui fit ut in patriis te nemo superbior oris
 6 vivat, et in vitii sic sibi labe placens ?
 7 Qui fit sat magnos nemo ut tibi praestet honores ?
 8 Cunctaque sint meritis inferiora tuis ?
 9 Credo equidem, nec vana fides re sponte loquente,
 10 quod non sis verbis credulus ipse tuis.
 11 Nam vere ex animo mala si cordi insita nosses,
 12 non essent fastus tot documenta tui.

IN IMAGINEM ESAIAE HOFMANNI.

E2_113 v.1 Esaias Hofmannus Halae florentis alumnus
 2 hac facie nobis conspiciendus erat,
 3 cum Ducis Herulei juris legumque peritus,
 4 annos vixisset senaque lustra duos.

IN IMAGINEM CATHARINAE GOLDSTENIAE.

E2_114 v.1 Esaias Hofmanni Catharina optabilis uxor,
 2 urbis Halae gentis Chrysolithaeque decus
 3 sic oculos pulchrasque genas sic ora ferebat,
 4 dinumerans annos quinaque lustra duos.

DN. CAROLO DANCAEO REGIS GALLORUM IN DANIA LEGATO.

E2_115 v.1 Accipe delicias non magni suaviter horti,
 2 lecta tibi nostra paucula mala manus.
 3 Mala boni memorisque animi vix sensile signum,
 4 qui tamen ingenua te pietate colit.
 5 Quae si grata tuo fuerint quandoque palato,
 6 saepius ut magnis parva placere solent :
 7 non mihi dic ullas tibi quas ego debeo grates,
 8 sed saltem haud pigeat te meminisse mei.
 9 Namque ego vel cineres inter tumulique favillas
 10 non umquam potero non memor esse tui.

IN POEMATA HENRICI HUSANI V. CL. AD S. P. Q. LUNEBURGENSEM.

E2_116 v.1 Haec sunt, o proceres, Husani carmina vestri,
 2 inclyta Sionii Aoniisque modis.
 3 Ecquis enim non Sionios hinc ducat odores ?
 4 Si sacra de sacris carmina rebus amet.
 5 Quis non Aoniae latices hinc hauriat undae ?
 6 Si modo Castaliis labra rigarit aquis.
 7 Accipite ergo bonis animis, vultuque sereno,
 8 quod Pietas vobis, Musaque mittit opus.
 9 Sic prope qui vestrae mons calcifer imminet urbi
 10 Sionii certans surgat ad astra jugis.
 11 Sic qui proventu patriam salis ubere ditat,
 12 aeternum Aonias fons quoque fundat aquas.

POETASTRO CUIDAM.

E2_117 v.1 Carminis auctori toties quid carmina mittis ?
 2 Pro numeris speras munera numne tuis ?
 3 Cum mihi sint numeri plures quam mittere possis,
 4 nulla ego pro numeris munera reddo tuis.

IN DOMUM MUSCULOSAM.

E2_118 v.1 Cum paene instantem minitantur tecta ruinam,
 2 tum tacite emigrans musculus omnis abit.
 3 Una etiam secum telam amolitur arachne,
 4 nulla ruinosa conspicienda domo.
 5 Belle igitur tantas hic texit aranea telas,
 6 hic minor et major mus sua regna tenent.
 7 Indicio illorum cautus quia praevidet hospes,
 8 instet quod domui nulla ruina suae.

IN LABRAGORAM.

E2_119 v.1 En tibi Labragoram fraudis nummique ministrum,
 2 patronum furti, caedis, adulterii.
 3 Quin scelus haud ullum est, quod non defendere juris
 4 Labragoras titulo iustitiaeque queat.
 5 Sic torquere igitur norit cum cerea jura,
 6 haud legum doctor, sed mihi tortor erit.

IN POLYPHEMUM.

E2_120 v.1 Invidia, Polypheme, premi te livide clamas
 2 doctrina a magnis eloquioque viris.
 3 Cum tamen invidiam quod vel nani excitet, insit
 4 nil animo, linguae, vulticuloque tuo.
 5 Nil etiam generi, nil vasto in corpore membris,
 6 nil opibus, domui, criminibusque tuis.
 7 Per me quippe licet, perque omnes credo licebit,
 8 ut sine rivali te et tua solus ames.
 9 Desine quapropter, qui te scire omnia credis,
 10 posthac falsidico talibus ore queri.
 11 Aut exclamabunt docti, o grave dedecus ! Omnes,
 12 ignotam tibi vim nominis invidiae.

RIPSASPIS.

E2_121 v.1 Ex bello incolumis rediens Ripsaspis, ad aram
 2 cur sua suspendat calceamenta, rogas ?
 3 Non clipeum aut galeam, partae monumenta salutis ?
 4 Qui mos servati militis ante fuit,
 5 defendere pedes illum, non arma vel ensis,
 6 nec clipeum aut galeam rettulit ille suam.
 7 Ergo in defectu reliquorum, haec dona videnti
 8 virtutis voluit signa referre suae.

IN BIRRUM.

E2_122 v.1 Gaudete, o Bavii, miseri gaudete Batylli,
2 qui vestra obscuret nomina Birrus adest.

IN LYCUM.

E2_123 v.1 Fata redempturum caesi se mille coronis
2 clamabat Fabii, turgidus ore Lycus,
3 hoc impune videns fieri. Nunc illius uxor
4 cum pueris misere pauper inopsque sedet.
5 Nec micam salis a tanto sperare patrono
6 aegra fame, et macie seminecata potest.
7 Tot nummis, Lyce, nil opus est jam morte peremptis,
8 quin vivis potius sit tua larga manus.

IN REGES N. REUSNERI.

E2_124 v.1 Regibus antiquis tantos dum praestat honores
2 Reusnerus, Clarii gloria certa chori,
3 dignus erat, cui certarent dare munera reges,
4 praeconi tamquam signiferoque suo.
5 Sed licet hoc numquam fiat (nam tempore nostro
6 rara venit Musis gratia, rarus honos),
7 ille tamen sibi sic peperit memorabile nomen,
8 claraque tot vetuit nomina nocte premi.

IN VULPECULAM.

E2_125 v.1 Blanditur vulpes, sed non ego credulus illi,
2 pessimus est simulans se malus esse bonum.

IN DISSOLUTUM.

E2_126 v.1 Naturam expellas furca tamen usque recurret,
2 exclamas, quoties non facienda facis.
3 Si tibi nativum est sceleratam vivere vitam,
4 otia sectari, fanda nefanda loqui :
5 et mihi nativum est reprehendere talia, teque
6 ni vitia emendes postmodo nolle pati.

ETYMON PECUNIAE.

E2_127 v.1 Quod pecudum inducat pecuina pecunia mores,
2 est brutum a bruto nomen adepta pecu.

COMPEDES AUREAE.

E2_128 v.1 Aulicus exosam totiens ne deserat aulam,
2 aurea vincla quibus detineatur habet.
3 Auro etiam muto vis maxima persuadendi est,

4 tum quoque quod loquitur plurima quando tacet.

IN MESSALAM.

E2_129 v.1 Laurigerum se saepe vocat Messala poetam,
2 mirifriceque sibi dum crepat ista placet.
3 Ast ego, cum dicit lauros, intelligo larvas,
4 audio Boeotum quando poeta canit.
5 Quin betam potius. Tanti nam carmine vatis
6 nil magis insulsum, nil magis insipidum.

VIVENDUM.

E2_130 v.1 Vita brevis, curae innumerae. Quid gaudia differs
2 dat tibi tam parca quae brevis hora manu ?

ADULATORI.

E2_131 v.1 Laudari nimium, nimis est grave. Desine, quaeso,
2 laudibus immodice nos onerare tuis.

RANA CREPANS.

E2_132 v.1 Rana bovi certat, sed nondum rupta. Quid obstat ?
2 Disrumpenda brevi rupta putanda tibi est.

DISCIDIUM AMICORUM.

E2_133 v.1 Non vivit, fido quisquis privatur amico,
2 dimidium siquidem perdidit ille sui.

IN GALATEUM JO. CASAE.

E2_134 v.1 Quisquis es, exiguum quamvis ne sperne libellum,
2 tu quoque quod fugias quodque sequaris habet.

IN COLLOQUIA SCHOLASTICA MATURINI CORDERII.

E2_135 v.1 Quid puerum bene moratum, sermone latinum,
2 et vero faciat corde animoque pium :
3 prudentem quid dedebeat deceatve magistrum
4 melliflua liber hic cum gravitate monet.
5 Qui si acri studio saepe evolvetur utrisque,
6 non labor hic expers utilitatis erit.

D. BUGSLAVO POMERANIAE DUCI OPT. ET ILLUSTRISSIMO.
DE LIBELLO CONSOLATORIO.

E2_136 v.1 En tibi tam carum, princeps Bugslave, libellum,
2 excusum nitidis in tua vota typis.

3 Cum consorte pia quo felix utere, Christi
 4 et patriae flagrans totus amore tuae.
 5 Sic vere Bugslavus eris, qui numinis instar
 6 sit robur populi confugiumque sui.

HENRICO BELOVIO VIRO NOBILISSO. ET MARESCALCO REGIO.

E2_137 v.1 Accipe Burenii et nostros quos mitto libellos,
 2 magne vir, et regis dextera fida tui.
 3 Quos volo non alia nobis mercede rependi,
 4 quam juvet ut fastos vox tua fida meos.
 5 Sicubi se dederit felix occasio, ut illos
 6 commendare nota de meliore queas.
 7 Non deerit studio huic Caasa optimus ille patronus
 8 Varniadum, et studiis, anchora sacra meis.
 9 Nec fastos regi indecores regnoque futuros,
 10 indicio poterit Julius esse meus.
 11 Quem si oculis unum videat rex inclitus aequis,
 12 non operi poterit non bonus esse meo.
 13 Quod si spes nulla est, vanumque insumo laborem ;
 14 id quoque si scribes, muneris instar erit.

IN LYCISSAM.

E2_138 v.1 Infanti dare quod nequeat laeso ubere mammam,
 2 sollicita est miris torva Lycissa modis,
 3 nutricum incusans vitam, moresque pudendos,
 4 quos puerum non vult imbibere ante diem.
 5 Esto animo bene composito mea quaeso Lycissa,
 6 nil causae est tantum cur doluisse velis.
 7 Nam nulla est mulier, lupa nulla, nec ulla leaena,
 8 cujus lac possit plus nocuisse tuo.

IN RASOS.

E2_139 v.1 Cur calvos per se Monachos quandoque futuros,
 2 rasura calvos reddere Papa sinit ?
 3 Calvitii causam novit pater ipse Phalantus,
 4 eunuchum et calvum quid veter esse, videt.
 5 Quocirca ut melius monachorum furta premantur,
 6 sponte quod hinc fieret, jam fieri arte jubet.

IN ZOILUM.

E2_140 v.1 Carmina quid rodīs non intellecta Sabelli ?
 2 Optima tene unum scribere posse putas ?
 3 Quae tibi nulla placent aliis fortasse placebunt,
 4 his praejudicio ne gravis esto tuo.

IN INSIGNIA CENACULI SAMUELIS CALOANDRI.

E2_141 v.1 Istam cum venit Samuel Caloander in urbem,
 2 haec rerum facies hic status urbis erat.

3 Pastores populo hi praeerant, ludoque magistri,
 4 hos urbs, hos habuit curia celsa patres.
 5 Christe, tua defende urbem bonitate, nec illam
 6 moribus a priscis egenerare sine.

IN MALE SIBI CONSCIUM.

E2_142 v.1 Ut canis in reliquo mordax grege verbere laesus
 2 latrando est index vulneris ipse sui :
 3 sic qui se excusat non accusatus, eundem
 4 quid dubitas dicti criminis esse reum ?

EPILOGUS.

E2_143 v.1 Hic quoque si pungi nostro te carmine credis,
 2 conscia mens damnet quod tua facta, doces.
 3 Hanc igitur non me accusa : si viceris ista
 4 iudice, nil hic quod laedere possit, erit.
 5 Sed neque carminibus tibi tantam aspersero labem ;
 6 quantam ipsi propriis tu tibi criminibus.
